



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

F22

16.108

99-7

14643-52402

B E R N A R D I

B A V H V S II


A N T V E R P I A N I

è Societate Iesv

EPIGRAMMATVM

L I B R I V .

Editio altera, auctior.



A N T V E R P I A E,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthasarem Moretum, & Viduam
Ioannis Moreti, & Io. Meursium.

M. D C. X X.

BERNARDI BAVHVSII

ANTVERPIANI

è Societate Iesu

EPIGRAMMATVM

L I B E R I.

In saeculi nostri perditissimos mores.



EMRORA væ! væ saecula, væ! væ fer-
rea saecla!

Sæcula Noæam digna videre ratē!
Digna quibus cælo neque Sol neque
Luna ministret,

Nec sua sidereæ lumina dent choreæ:
Sed quibus æternâ pictum ferrugine cælum
Incubet, & piceâ nocte perennè premat.
Ah, ah ! iam Gyaros missa est pulcherrima Virtus,
Iam terris Pietas exulat atque Pudor.

Hinc passim innuptæ nuptæ, muliusq; per orbem
Ambulat Aegisthus, multaq; Phædra domi est.

Iam totum pharetræ pondus consumsit in arcum
Telifer ille Puer, lethifer ille Puer,

Qui geminâ geminū comburit lampade mundū,
Quoque iacit Phœbus, proiicit ille faces.

Et puer Ogygius rubicundæ consitor vñæ,
Non habet in nostrum regna minora caput.

Lauriger hic vñctis quondam remeabat ab Indis,

A 2

E to-

E toto victor nunc ligat orbe comam,
 Nunc vinosa Hecube, vinosa Polyxena virgo est,
 Nunc Priamusque senex, Astyanaxque bibit.
 Dulcè bibit, non dulcè furi; cum turgida vena est,
 Mars subit, & calidis ARMA VIRVMQ. canit.
 Ilicet exiliunt ad iurgia Centaurēa,
 Ad Centaurēas exiliuntque neces.
 Tum petitur diris cælum, tum vapulat æther.
 Tum Phlegethon nihil est, Styx Acheronque
 nihil:
 Omnia rhonchifono tunc sunt ludibria naso,
 Quidquid Auetnus habet, quidquid Olympus
 habet.
 Publica quid memorem? Caluinia sœuit Enyo,
 Et faustâ, heu! passim prælia bellat auc.
 Sanguine iam nostro mutarunt arua colorem,
 Vidi ego purpureas fluminis ire vias.
 Ilias est, quid plura querar? vis, liuor, & alba
 Ambitio, & flauus Pygmaeonis amor.
 Omnia iam regnant, omni sunt aëre noxæ,
 Omnia sunt multo pectora nigra dolo.
 Hem, Domitor mundi, cessas? nec fulmina
 stringis?
 Nec rapidum ardenti sulphur ab axe pluis?
 Stringit, & ecce pluit: caue munde, & te lacryma-
 rum,
 Ne malè dispereas ignibus, obrue aquis.

*In septem Psalmos Pœnitentiales
Davidis Regis.*

Qui Metancæzos animi sine vulnere Psalmos,
 Et lacrymas sicco Davidis ore legis,

Gatulæ

Gætulæ matris puer es, patrisq[ue] iubati
Filius, & ferri in pectore frigus habes.
Eia, animo procul omne moue ferrumq[ue]; ferājuc,
Et bibat ex oculis pagina prima tuis.
Deiiciant liquidas tibi vitrea lumina gemmas:
Sic, sic, non aliter vult Liber iste legi.
Quòd si rore tuo vel linea prima notetur,
Cetera nil opus est euolūisse tibi.
Si nescis, flere h[ic] legere est; ille omnia legit,
Quem Libri primo in limine pœnituit.

Peccati punitio.

Ad scelerum pœnas vltrix venit ira Tonantis;
Hoc grauiore manu, quòd grauiore pede.

In Tabulam Adami & Eva.

Costigenæ forma hæc, Protoplastique parentis:
Falx huic, huic colus est; pellis vtrumque tegit.
Sed cur ora rubent? (namque ora rubentia cerno)
Ad luxum, credo; & serica nostra rubent.

Ecce homo.

Si mihi stet Libycum lapidoſo in pectore marmor,
Et ſcissum ē medio ſit mihi cor Sipylo,
Nunc tamen vnda fluat, nunc ſe mea pectora
ſcindant,
Nunc in aquas mea ſe marmora diſſoluant.
Ecce meus I e s v s pro me, liuorq[ue], cruorq[ue],
Et tabū; & ſanies! Ecce homo, nullus homo!
Ecce homo, qui pro me! ſed flendum eſt, cur-
rite ocelli,
In duo flumina mī lumina liquimini.

Ite piaz guttae, pallentes currite riui,
 Grandibus, indomitibus, tabificis lacrymis.
Quid? nondum vlla venit? cessatis lumina?
 saltem
 Vnica, saltem vna ô guttula parua veni.
Me miserum! non vlla venit, non proficit vlla!
O pie CHRISTE, quis est, quem tu adamas?
 Adamas.

*Ad D. V I R G I N E M Asperi collis,
 vulgo Sichemensem.*

Salve Aspri collis, sed non tamen aspera Virgo,
 Mitior agnellis, Chaonicque grege.
Nam volucrum certè quæ laus est Chaoniarum,
 Est tua: felle carent, felle MARIA cares:
Fraude carent, & fraude cares; nec ruga nec ira
 Torquatae volucri est, ruga nec ira tibi est.
Te melior nulla est, non est te mollior vlla
 Vota hominum proris combibere auriculis.
Vota facit claudus, claudus sua vota reportat:
 Vota facit cæcus, post sua vota videt.
Omnia quid memorem? nam millia vidimus ire
 Ad MARIA inuidos, à MARIA validos;
Illi pestiferæ regnant in corpore flammæ,
 Huic sitiens toto corpore regnat aqua:
Deliquat hunc tabes, hic lento pingitur auro,
 Illum sub lethi dentibus esse putas;
At mox eripitur lethi de dentibus æger,
 Porrigit ut medicas Virgo vocata manus.
Ipse adeò huc veniat Morbus, vitamque roget
 Mors;
 Virginis hæc viuet, ille valebit ope.

De

De Libello Thoma à Campis, Qui sequitur me.

Memnonidæ, lampas quos Delia prima colorat,
Et pharetratorum gens Othomannigenum,
Et tincti moro Mauri, ferrugine Iberi,
Et violâ tinctus Sarmata, Belga rosâ,
Campensem cuncti Thomam noruntque, leguntque;
Dumque erit aura, solum, flamma, salumque,
legent.

In tenebris, Thoma, te non sinet iste Libellus,
Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.

Terra vallis lacrymarum,
Ad Paulum Cesarinum.

Verè dicitur, estque Terra vallis
Amarissima, Paule, lacrymarum,
Et plenissima, Paule, lacrymarum.
Paremus strophium, & sinu geramus,
Quod bibat lacrymas quotidianas.
Ah sic est! lacrymas quotidianas:
Quas fleas, dabit omnis hora caussas.
Dolorum omnium, amaritudinumque,
Aerumnabiliumque lacrymarum,
Hæc est patria; Terra nostra vallis,
Non potest aqua vallibus deesse.

Tres hominis hostes.

Vnū Grammaticū, Logieumque, & Rhetora vita;
Hos modò vitatis, cetera tuta tibi.
Quis Rhetor? Mundus: fallax Logicus? Caco-
dæmon:
Semper declinans, est Caro, Grammaticus.

De Amente & Amante.

Dicite cur longa est Amentis syllaba prima?

Insano contrà cur in Amante breuis?

Sic credo; furor est Amenti par, & Amanti;

Sed furor est illi longus, huic breuis est.

Religio Batauica.

Hæc est in Batauis libertas pessima terris,

Fides cuique libera est.

Viuitur in centum, fidibus dicam? ànne fidebus?

Sua cuique domus Ecclesia est.

Et numerus capitū, numerus iam pæne fiderū est.

Erubeo; ridet Aluarus,

Barbariemque notat nostram, nec mille fidebus,

Nec vult fiderum dicier.

Quid faeiam? cogunt Bataui, numerusq; fiderum,

Vetat Magister Aluarus.

Vah Bataui! pudeat, pudeat vos religionis,

Quam barbarum est vel cloqui.

SPIRITVS SANCTI imago, Columba.

Pneuma sacrū niueæ quòd pingitur ore columbe,

Non est de nihilo, credite; caussa subest.

Ille Deus Pacis, volucres hæc Pacis; amantque

Cæli, illæ, candida corda Deus.

Ad Linum Coronatum,

De Luthero.

Quòd semper sitiens rubentis vuæ

Merum noctibus, & merum diebus

Totis duceret, ille sanctus, ille

Bapti-

Baptistes, Elias, Enoch, Lutherus;
 Si nescis, Line, mira, mira caussa est:
 Sitis maxima, nempe, veritatis;
I N V I N O, Line, **V E R I T A S**; studebat
 In vino reperire veritatem.

In Appium ebriosum.

In niueis Appi iam regnat Bruma capillis,
 Inque oculis semper vino flammantibus Aestas;
 Baccifer Autumnus pingit nasumque genasque;
 Cumque babit, florū dulce illi ad tempora Ver est.
 Sic potans, totum in vultu gerit Appius annum.

In Lycam è remige Equitem factum.

Remigibus genitus, liniisque hamisque magistris,
 Squamigerum quibus est fallere cura gregem;
 Nunc fertur nescire Lycas nomenque genusque,
 Splendidus è nautâ paupere factus Eques.
 Nunc illum madidi generis pudet, atque parentū,
 Et matri nuper, Quzenam, ait, hæc anus est?
 Antè Lycas fuerat, finxit sibi nobile nomen,
 Factus Mæccenas, qui fuit antè Lycas.
 Sicque salutatur cunctis: Salve & mihi: Salve
 Mæccenas atavis edite remigibus.

Horat.

De S. V R S V L A Virg. & Martyre.

O nix! ô ostrum! ô ebur! ô viola! VRSVLA salue,
 O de liliolo sanguine facta rosa!
 Dic bona, penniferæ quot te tetigere sagittæ?
 Quotque, ô, tortilibus fixa es arundinibus?
 Non sat, ait, memini: nā postquam in pectore nostro
 Sederat æthereo misla sagitta polo,

A.

Barba-

Barbaricos nil sensi arcus; quoniam tua, CHRISTE,
Abstulerat sensus dia sagitta meos.

Laus Dei Parae.

Est locus in terris, liquor in quem puppifer omnis
Confluit, & laticum quidquid ubique natar:
Est, in quam Virtus & Gratia confluit omnis,
Et diae dotes: haec maria, haec M A R I A.

*De Anco Velio adolescenti, à Pallade
ad Martem transeunte.*

Tympana, bombardasque, triumphalesq; tonitus,
Cantricesque tubas niueo ductas argento,
Et coco rutilas Aquilas, rutilasque pyropis,
Tum Tyrias chlamydum luces, & texta sagorum
Aurea, gemmatosque enses, atque omnia magnis
Oblita diuiniis, Bruxellæ viderat Ancus,
Icciacâ nuper lauro dum tempora Magnus
Cingeret Albertus. Belli hinc Puer ictus amore,
Me sine, mi genitor, bellum peto, dixit. at ille,
Me sine, mi fili; bellum nego, dixit, & aurem
Vertit. at infelix oculos superaddidit ori,
Et teneris verbis teneras superaddidit vndas;
Quensis motus genitor, Tun'ò post Pallada Marte?
Post libros gladios? post carmina tympana? flebis:
Itamen. Ille volat. bella aurea, & aurea castra,
Ferrea mox sentit; nudo mox nudior Iro,
Et Bacchi, & Cereris, petasiique, sagique, focique,
Et tecti, lectique, & vestis, & indigus æris,
Pallet, egetique, sititique, fametique, algetique,
madetque.

Quò nunc Ance? Patri me reddite. redditur æger:
Qui

Qui procul illacrymans, Pudet ô pater, & piget,
inquit,
Parco; credideram Bellum, miser, Adiectiuum.

*In Goddam Ministrum Calvinistam
bibulum ganeonem.*

Guttur, Godda, tuo, cùm totâ falsius vrbe,
Nullumque sit bibacius;
Inque ligata tibi cùm sit Venus, & modò Phrynes,
Modò sis stotatæ seruulus,
Quid geniesin, cælique domos, quid sidera queris.
Nascente te quæ fulserint?
Numquid in opposito sentis te Virginis ortum:
Sub Amphorâ, vel Piscibus?

In Persam Ducem bello captum, Christiana Sacra fictè suscipientem.

Danaciâ de gente Dux pharetriger,
Sacrîs relictis Persicis,
Ad Sacra nuper Christiana transiit,
Quò solueret captum pedem.
Ablutus ergo Episcopali dexterâ,
Vndáque tinctus publicâ,
Impleuit vrbem gaudio; at mox Persicis
Delusit vrbem fraudibus.
Scelus fecellit! quoque falleret magis
(Sermone dulci, at perfido)
Ferebat hoc in ore semper symbolum,
* Sol Deus Persa

De Virgilio, veteribusq; Poëtis.

Lucanus rapidus, numerosus Horatius, Vmbri
A 6 Mascal

Masculus, argutus Bilbilitanus olor:
 Flumineus totus Naso, salsus Iuvenalis,
 Persius est doctus, Silius ore grauis:
 Veronæ Passer tener est, placidusque Tibullus,
 Philosophus Carus, Statius armisonus:
 Floridus est cantor Stiliconis, grandis & ardens
 Et monitor Seneca est; omnia Virgilius.

*In lectulum dulcissimi Infantis Iesu
 recens nati.*

Lectule, lectule mi, dulcissime lectule, salve;
 Lectule liliolis, lectule strate rosis.
 Ah nec strate rosis, nec liliolis formosis;
 Verum & liliolis, & bene digne rosis.
 Sed prohibet teneris infestus floribus annus,
 Et madidi pronus cantharus Hydrochoi.
 Cernin', quia valido veniat niger imber ab Austro?
 Densaque quam tacitis lana cadat pedibus?
 Audin', ut Scythicæ bacchentur in aëre buccæ?
 Tansaque Sithoniâ grandine tecta sonent;
 Claude MARIA fores: en algida, nuda tremensque
 Præ foribus stat hiems; claudo MARIA fores.
 (Conde sinistellam, dextellam IESVLE conde,
 Conde Puelle aures, conde Puelle caput,
 Oscula Paruile conde, labella tenerrima conde,
 Hoc tege lumē & hoc, hoc tege tempus & hoc.)
 Clausit Virgo fores. Age lectule calface Christum,
 Calface, iò, magni paruula membra Dei,
 O ego, mi Iesu, tuus ô si lectulus essem!
 Te, te ego vel fuso sanguine calfacerem.
 Sic ego; sed contrà Mater: Non sanguine gaudet
 Ille meus dulcis, melleus ille meus;

Poscit

Poscit aquā. Iam nunc dabimus, dulcissima Virgo.
 An multam? multam: num gelidam? calidam:
 Num dulcem: falsam: de flumine? lumine: fonte?
 Fronte. Ohe satis est, iam dabo, Virgo, dabo.

SIMON. *Luca 2. cap.*

Ten' video? cæci lux optatissima mundi!
 Ten' teneo? ô veterū clamor amorq; Patrum!
 Ten' teneo & video? teneo te dulcis I E S V!
 Te video I E S V! te teneo & video!
 Venisti tandem M E S S I A maxime; salue!
 Venisti Isaciæ spésque salúsque domus!
 Sed cur ô clausos non pandis, Paruale, ocellos?
 Nec finis ut nocte hac vtraque stella micet?
 Nempe hoc est, non te cognoscunt Abramidarum
 Pectora cæcorum, Sarai dēsque nurus.
 Tam cæcas igitur Solymas, nec te quoque dignum
 Cernere: noui ego te, lumina pande mihi.
 Ah, ah, pande mihi clausos, Puer aurēc, ocellos, ^{Nunc}
 Occludam gaudens tunc ego, C H R I S T U S, meos. ^{dimit} sis, &
^{Luc. 1}

*In martyrium B. Martini Laterna
 in mare demersi.*

Spargitur in canas Martinus Tethyos vndas,
 Romanam portans per maria alta fidem.
 Non tamen extinxit fidei Tethys impia lumen.
 Cur? quia Laterna est, non penetratur aquis.

Ad eundem.

Tantus eras recti custos, rigidusque satelles,
 Quantus nec Zeno, nec Cato sanctus erat.
 Et bene cultus eras Septimia, & bene tinctus oliuo

Palladis, Aoniis & bene tinctus aquis.
 Grandibus ista tubis cùm de te Fama sonaret,
 Tu tibi nec sanctus, nec sophos ullus eras.
 O sapiens peccatus! sic sic Martine fuisti
 Tu Laterna tibi, clara lucerna aliis.

Disce mori.

Certus ut euites Lethen, Acheronta, Stygemque;
 Ne viue, tantum discito semper mori.

Quirino Poëta laureato nouo Myſta.

Voluebam vranimas dubio sub pectore curas,
 An canerem vndenos ad tua sacra pedes?
 An tacitus starem potius, linguaeque fauerem
 (Ista rudis Musæ lis & amoris erat)
 Cùm Phœbus quâ te canerem, subito ecce mi-
 nistrat

Auratam auratâ de pharetrâ citharam:
 Multiforam Euterpe buxum: caua barbita, Clio;
 Dat calamos Erato; Calliopea lyram;
 Plectra Thalia; Chelyn Polyhymnia; mascula
 cornu

Melpemone, Aeneadum quo canit arma Du-
 cum:

Raucaque tympana, Terpsichore; dat cymbala,
 fistraque

Vranie: his omnes te celebrare iubent.

Obstupui, fateor, quòd ter tria numina, & ipse
 Delius in laudes ferueret ire tuas.

Mirum haud, Phœbus: ait nam Christi ut Myſta
 Quirinus,

Musatum & Clarij, sic quoque Myſta Dei est.

Vox.

*Vox B. Petri : Etiam si oportuerit
me commori tibi.*

Eia age, si ferro, vel stat cruce Christe perire;
Stat mihi, te ferro vel cruce, Christe, sequi.
Non Petrus haec, sed amor loquitur; quæ deinde
negavit
Vox Christum, haud eius, sed tua Petre fuit.

In tumulum Arie Montani.

Ah quantū os! quām facundæ hīc emortua linguae
Plectra iacent, cinceres inq̄ue abiēre leues!
Iurasles Græcum, quoties tereti ore sonabat.
Digna Pericléis Attica verba labris.
Hebræamq̄ue sonans, verum Salomona putass̄;
Verum Arabem, Arrabicos cū daret ore sonos:
Cumq̄ue Syrum exprimeret (fuit haec quoque
copia fandi)
Clamasset, Syrio est lingua ea nata solo.
Ergo vbi tot linguas b̄cuius compenderat
annis,
Nec discenda illi iam foret vna super;
Angelicam optauit linguam quoque discere;
Christus
Audīt, angelicum sustulit inq̄ue chorūm.

Ad Herodem.

Bethlemiæ matres vnum te, Herode, precantur
(Non pœnitēbit quando feceris, iuro)
Ut laqueo tua colla liges, nodoq̄ue sigilles;
Non pœnitēbit quando feceris, iuro.

SACER-

Sacerdos Principi, Regi, Imperatoris praefat.

Magnanime Princeps, quem superbi nominis
Ardor & anhela gloriæ torret sitis.

Cuius diu noctuque carpitur iecur
Nouaque semper laudis ardescit face;
Vis esse maior? altius queris iugum?

ESTO SACERDOS: Principe hic extat super.
Tū, Magne Rex eburnei in secessor throni
Aurea superbâ sceptrâ qui torques manu;
Vis esse maior, & tiaras regias,
Omnesque trabeas & secures vincere?

ESTO SACERDOS: Regibus hic extat super.
Tuque Imperator, quisquis Ausonias aues,
Cæsar gubernas: orbis in cuius manu
Iacent habenæ & fræna mundi immittia;
Vis esse maior, & cho reis astricis,

Et olympicis ferre propriùs Diuis caput?

ESTO SACERDOS: Cæsare hic extat super,
At tu, Sacerdos, sorte contentus tuâ,
Te culmina altiora ne quæsiueris:
Supremâ namque possides fastigia,
Quæ fluxa fluxis vita dat mortalibus.
Homo esse non vis, maior esse si velis.

In Othonem avarum.

Serit arua centum, & arua centum demetit
Otho quotannis: nil cum fallit seges,
Anniique rara pallet ad mendacia:
Tam fida curuis sunt aratra falcibus.

Natantur illi stagna non minus decem,

Vitreo-

Vitreoque pecore vitrei turgent lacus:
 Vuæ beata crescit illi purpura,
 Facilisque Flandris erubescit solibus;
 Qualis Falernis educatur collibus,
 Cuniculosæ aut Celtiberiæ iugis.
 Hæc tanta Diuūm , tamque larga munera,
 Flagellat Otho, vassaniensque interficit,
 Betas fabriles, & capillata intyba,
 Et vile portum, & languidum coenans olus.
 O læua mens! o corda cordis indiga!
 Pecunias habet Otho, *χρήματα non habet.

*Pecunias à
χρήμασι.
quod est v-

erat.

Hoc est.

De Fabio caupone.

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci:
 Legerat hoc caupo Fabius; Bone Iuppiter, inquit,
 Iam dulci miscere mero licet vtile flumen.

D. PAULVS uber mundi.

Vbera lacte fluunt; fluit, en, pro sanguine PAULO
 Lac niueum amundi totius vber erat.

Poëta de suo in IESVM amore.

Te dubitas an amem? (mea lux, meus ignis IESV!)
 Te (sed non dubitas) te dubitas an amem?
 Dipsadas, atq; hydras, ichneumonas, amphisbenas,
 Aspidas, & cenchres, mortiferasque nepas;
 Circæos succos, Sardoaque gramina, Ponti
 Toxicæ, morborum millia, mille neces;
 Hæc mihi si pœclo IESV miscebis in uno,
 Et fuerit tellus Theissala tota liquor,
 Pro te: Quid facies? inquis. Violentus & ardens,
 Marmoreisq; oculis; Quid? Rapiam atq; bibam.

Trium

Trium Religionis votorum nuncupatio.

Dum rutilus Phaëthon, argentea Cynthia, saltus
 Rescipient cæli per sola picta suos;
 Mœnia dum Superum flammis cingentur & auro,
 Et Stygij Regis stabit opaca domus,
 Stabit ceu Sipyli cautes immota mihi mens;
 Quāmque Deo dedero dextera, marmor erit.

Et nunc quæ voueo, vos immortalī adamante
 Scribite Cælicolæ. Scribitis? Incipio.

P A V P E R E R O D V M V I V V S E R O. Cretata facies
 Ambitio, & fului sordida cura lutii.

C A S T V S E R O D V M V I V V S E R O. Procul este
 Suburæ.

Vxores solidae, Thaides este procul.

Non mihi vertigo hæc, vt sim bellator Amoris;
 Demens Idaliæ militet alter heræ.

Denique iam libertatis mea dulcia iura
 Trado tibi; ô charum **N O L O V O L O Q .** vale.

N O L O V A L E , V O L O D V L C E V A L E . Tonitra-
 lia summi

Testor templa poli, fulmineamque domum.
 Dum tonitru, dum fulmen erit, dum fulmi-
 nis auctor;

Non mea vos eritis, non ego vester ero.
 Et nunc, ô summum, mea sceptra & regna
 valete;

A c t e r n u m , æ t e r n u m , N O L O V O L O Q Y X
 vale.

Omnia persolui: iam nil tibi, dulcis **I E S V ,**
 Debo; nil debet, qui dare plura nequit.

Votum

*Votum ad VIRGINEM-MATREM
pro valetudine p̄ij & eximū vatis
P. Nicolai Sufij, Societatis IESV.*

Ille tuus vates SVSIVS, tua buccina, VIRGO,
Ferre potens nomen celsa per astra tuum,
Ille cliens, ô DIVA, tuus, qui supplice voto
Te nocturnus adit, teque diurnus adit,
SVSIVS en languet, pallensque & buxæ forma,
Ambulat in morbis iam tria lustra tribus.
Hocne placet Regina potens? sicne ibit in umbras
Vel sine luce suâ? vel sine laude tuâ?
Nil de te scribet? populi nil mittet in aures
SVSIVS, & vulgi in murmure nullus erit?
Non ita; iam nunc æterno te carmine psallet.
Psallere Virgo iubes? Virgo valere iube.
Ipse rogo, rogat ipse; audi bona: dic semel illi
VIRGO Vale, toties qui tibi dicit Ave.

*De CHRISTO Domino & PETRO
Apostolo crucifixis.*

Cur PETRI sursum plantæ, CHRISTIQ. deorsum?
Sub terras ibat CHRISTVS, in astra PETRS.

*I E S V S C H R I S T V S
/ ad Patres Societatis sua.*

Macte animis, ô LEO LÆ generosa propago,
Digna meas Aquilas & mea Castra sequi.
Vtar pectoribus fortissima pectora vestris,
Quæ pridem ignauos dedidicere metus.
Vos infanda manent, & mille pericula lethi,
Mille pericula solo, mille pericula salo.

Sed

Sed durate animum: Romani pectoris olim,

Nunc Iesu socij est, fortia multa pati.

Ergo agite Eoi vada cœrula verrite Ponti,

Romuleâ numquam sollicitata rate;

Frangite & Hesperias remis audacibus yndas,

Nec rabidos contra sit timor ire Notos.

Ite ad odoratos positosque sub ignibus Indos;

Tithoni roseos ite videre lares.

Ite boni, geminamque Iauam viridesque Moluccas,

Ite Antarttoi visere regna Poli.

Ite, vocat toto cantata Iaponia mundo,

Clausaque sanguineâ China superba serâ.

Ite, vocant Gentes, quæ Numen mugit in agris,

Et curuum tacitis pascitur in filiis.

Ite, ubi vicino sorbentur flumina Phœbo,

Peruuiæ ad nigras Brañiliæque plagas.

Currite, currite, quaquà iter est, Boream per & Austrum,

Et per flammiuomi Solis utramque domum.

Et Mornos alios, & Thulas querite; nam sunt
Mille luper Thulæ, mille super Morni.

Sed petitis, quænam de tot mihi præmia terris.

Quas ferri gazas, quæ mihi sceptra, velim?

Parcite: nil horum; nec regia sceptra, nec aurum,
Nec ferte Arabij nobile vermis opus;

Non niueos onychas, non rubro è littore gemmas,
Nec cincinnati mollia fila croci.

Lappæque tribulique, & fungi hæc omnia: scitis
Quæ vos ferre velim munera? ferte animas.

Vinum.

Coï vox Senis est, nec dilige, nec fuge vinum.

Nam

Nam nocet, & prodeat; hinc modicum, hinc nimium.

Contrà ego, non contrà: fuge vinū, dilige vinum;
Fer puer huc, tolle hinc; huc modicum, hinc nimium.

R. P. Hermanno Hugoni è Societate Iesu
de scriptionis origine scribenti.

Pauca Philetæo meditabar scribere metro

· Versiculis claudis, imparili que pede;

Pòscebam Phœbum calamos, vnamque Sororum

Quæ bifidum culmen Musicaq; antra colunt:

Poscenti Phœbus calamos Virgoque negavit;

Fregerat ille suos, fregerat illa suos.

Ite mei vates, dixit Deus, & Dea dixit,

Ite, dabit calamos iam meus Hvgo nouos.

Ite, nouas meus Hvgo dabit tabulasq; notaque,

Ite, dabit ceras iam meus Hvgo nouas.

Ite, nouum meus Hvgo dabit graphiumque
stylumque,

Ite, & litterulas iam dabit Hvgo nouas.

Ille Hvgo, quo Gorgonei de fonte caballi,

Plusque è Cyrrhéo flumine nemo bibit:

Ille Hvgo, quo purpurei de Vulnere Christi

Plus MARIAE casto ex vbere nemo bibit;

Ille pius, simul ille Hvgo doctissimus, ille

Ars nulla, & nulla est cui peregrina schola;

Hippocrenigenarum grande decus Musarum,

Grande decus Sophiæ, grande oleæque decus.

Testis adest nō grande Liber, densumq; volumen,

Sed qui vel paruæ est sarcina parua manus.

Et tamen ex illo nemo non doctior ibit,

Varro

Varro licet redeat, Panthoïdeſque ſenex.
 Discere ut indoctus queat hinc, dediscere doctus,
 Is malè quæ dīdicit, hic malè quæ docuit.

Heros Italus.

Aeſtus erat, ſuperaquæ Canis regnabat in aulâ,
 Herbicremâ torrens herbea rura face.
 Cùm nuper Calabris in montibus Italus Heros
 Heroum ferret per mala tefqua p̄dem
 Milite cum multo; manabat salsa per artus
 Vnda sub ardentí Sole, Leone, Cane.
 Sed madidi ſudore, arebant gutture cuncti;
 Vna vocabatur guttula, nulla fuit.
 Parua tamen paruo fuit vndula viſa ſub antro,
 Poturo potuit quæ ſatiſ eſſe Duci.
 Quā ſpernēs Heros fortissimus, Hanc ait, omnes,
 Si biberō, ſitient; ſi ſitiam, biberiāt.

I E S V C H R I S T O cruciſxo.

Cauſeſæ rupes duræ, ſunt robora dura,
 Duraquæ tardipedum cornua torua boum;
 Dura ſilex, vitreumquæ gelu, dens durus aratri,
 Duraquæ de Paris marmora ſcissa iugis;
 Duraquæ quæ Siculis reſtant incudibus æra,
 Ignibus ingenium vix domitura ſuum;
 Et laſſi quondam Brontes Steropeſque fatentur
 Durius æterno nil adamante dari.
 Dura hæc: ſed qui oculis ſiccis te, C H R I S T E, tuetur
 Pandentem teneras ad duo ligna manus;
 Et tua purpureo rorantia membra cruore,
 Diaquæ vulnifico tempora cincta rubo,
 Qui videt hæc lentus, celeri neque carpitur igne,
 Nec

Nec se Magdalias eliquat in lacrymas,
 Robore, rupibus, & silice hic, cornuque, geluque,
 Ferro, adamante, ære, & marmore durior est.

Die Veneris CHRISTVS passus.

Luce obiit Veneris, Veneris fle turba: videtur
 Caussa D 2 i passi non minima esse Venus.

De extremo Iudicio,
Ad Melissum Crucium.

Criminis omnis,
 Omnisque nigni,
 Purus ut omni
 Tempore viuas
 Moriture C R V C I;
 Vsque, ac vsque,
 Siue diurnum
 Rutili Phœbi
 Luceat aurum,
 Seu nocturnum
 Phœbes niueæ
 Miçet argentum;
 Vsque, ac vsque,
 Memori mente
 Hæc duo tecum
 Verba reuolute;
 Quæ de summae
 Nubibus æthræ,
 Formidando
 Pronus ab arcu,
 Magnâ I V D E X
 Voce tonabit:

Hinc

Martii Hinc maledicti,
250 Huc benedicti,
Itē, VENITE.

Quis Iesuita?

Hunc esse verè Iesuitam dixeris,
Quem per rubentem & Sole & auro Perūam,
Crispum per Afrum, perque Memnonias domos,
Et horridam Arcton, vna mittit littera.

Tacere.

Dicendi ars magna est; maior, mihi crede, Tacēdi.
Mille loqui docuēre artes, sed nulla Tacere.

Cui fidendum.

Nec omnibus, nec nemini:
Fide, sed cui, vide.

Ad Herodiadis filiam aquis mersam.

Mergere saltatrix, mollis fuerat tibi vita,,
Vndarum tibi mors debita mollis erat.

Senex & Puer.

Ne puerum mirare, senein ne sperne; tametsi
Sæpe vir in puerō est, in sene sæpe puer.

Ad Lectorem, de Distichis.

Vt video, transīs hæc pumila carmina Lector,
Nec faciunt stomacho disticha nostra tuo?
Num quia nostra? sapis: num quòd sint disticha?
peccas.
Si bona, longa satis; si mala, longa nimis.

Ad

*Ad Ponticum Belgam, varia binc
illinc damna passum.*

Viserunt bis seni olim tua tecta Bataui,
Pontice, quos captos Tityi est depasta volucris,
Et latroniuori laniarunt in cruce corui:
Nunc tauris infesta tuis manus vnta, rapaxque
Brandenburgiadum est; quin & tua spicca regna
Lunatam nuper frustra expectantia falcem
Fregit eques rabidus; dura, mi Pontice, dura
His passus grauiora; dabit Deus his quoque
Funem.

Ira & Amor.

Plumbea nunc multis Ira est, & durat in annos,
Plumeus in mensem vix bene durat Amor;
Mortales stolidi, stolidas conuertite flamas,
Ira ut plumea sit, plumbeus ut sit Amor.

Virtus & Vitium.

Vnum si Empyreâ crimen ponatur in aulâ,
Lux fugiet, medio Styx erit atra polo.
Vna Acherontëis Virtus ponatur in antris,
Nox fugiet, mediaque in Styge Olympus erit.
Ergo Virtutem toto plus dilige Cælo,
Et Vitium toto plus Acheronte time.

Trochæi puri de Musica.

Te tacebo? non tacebo, clara, dia Musica,
Porge mi Thalia plectra, pectinemque eburneum,
Orpheive, Arionisve, Mercurive barbiton:
Metra da pedesque Phœbe, da pedes Trochaicos,
B Da

Da volubiles, citásque, lubricásque syllabas:
 His, Pater, mihi canenda, prædicanda Musica est.
 Eia, quid morare Phœbe? da pedes Trochaicos.
Abnuit fauere Phœbus, & negat Trochaicos,
Quin & hos negat placere ter tribus Sororibus,
 Nec Trochæa clauda metra credit apta Musicæ.

Maure, sime, lusce Phœbe, barde Phœbe falleris:
 Phœbus ipse, Cantus ipse, & ipsa Diua Musica,
 Thespianæque, Pierusque, Pindus, Ascra, Corycus,
 Carmen, Oda, Musa, plectra, penna, chorda, bar-
 bitos,
 Duco, tendo, ludo, pulso, clango, pango, cantito,
 Nónne cuncta, stulte Phœbe, nónne sunt Tro-
 chaica?

Ad Momum.

O odium mortalium! es vnguis qui vlcere in omni;
 Blatta bonorum trux carminum es, & tinea.
 Tyresias, te vt ne cernam; te vt ne audiam, Isauris
 Rupibus esse velim surdior, & scopolis.
 Te Superum aula odit, te tellus; vnaq; amat Styx,
 Vnius ô Regis nigri & Erinnym amor!
 Dura, hem, carmina, ais: non sat sunt dura, quia
 opto
 Saxa loqui & silices, cùm tibi, Mome, loquor.

Ad Matonem Zelandum Poëtastrum.

Dici tu Papa vis, ego malim dicere Papa:
 Dicam ego cur tendam, dic Mato, cur breuies.
 Credo breues paucosq;. Papæ te velle Decembres,
 Atque omnem pridem velle fuisse Papam.
 Ast ego longæuos Papæ rogo Nestoris annos,

Et

Et sancti Imperij tempora longa precor.
 O ita sit Super! sit saxum immobile Papa,
 Quod mundi summum non labet ante diem.
 Vade Mato , plus nil mihi tecum est , nec tibi
 mecum;
 Iam scis cur tendam; iam scio cur breuies.

Vitrum & Vinum.

Vitrum proditor , atque vinum est;
 Hoc animi speculum , illud oris.
 Quod formæ solet esse vitrum,
 Hoc animo solet esse vinum.

Ad CHRISTVM IESVM
Poëta in morbo.

Vulnere te I x s v quino laniauit Apella,
 Verùm heu! sunt animæ vulnera mille meæ.
 Ah fallor! nam cuncta vnum sunt vulnera vulnus;
 Et quād densa seges,tam mibi densa luctus
 Innumeris operata malis,onerataq;e plagis
 Iam mea porrexit vita salusq;e pedes.
 Sentio;iam sumnum responsat vena laborem,
 Iam sita gens ,iam me Persephonea vocat.
 Vsque tamen spero dum spiro; spes mea C H R I -
 S T V S:

Quis non à tanto speret opem Medico?
 Ora tamen minio multo,flammaq;e notantur,
 Et grauis accensas stat pudor ante genas.
 Sed nunc sanus ero : tantum ô mutemus I E S V
 Vulnera;mī tua da,do tibi C H R I S T U S mea.

Anagrammatæ,
R O M A , A M O R , M A R O .

Vt cumque Romam verteris,
 Reges in illâ inuenieris:
 Namque ipsa R O M A regibus,
 M A R O dominatur vatisbus;
 Rex ille cordis, omnibus,
 Rex ille quem vocant A M O R .

Ad Zoilum.

Ecce mei veris sunt primi hi Zoile flores:
 Hos igitur Violas dicere iure licet:
 Vt que ego non dicam Violas, tu Carmina nostra
 Esse facis Violas Zoile, qui violas.
 Sic etenim totus pugnat tibi Musicus ordo,
 Vt placeant nulli quæ tibi cumque placent;
 At si quid liuens arroferis ore canino,
 Hoc Vatum concors vtraque palma probat.
 Quas violas Muías, Violas nos; quasque videmus
 Dente tuo rosas, credimus esse rosas.

B E R -

BERNARDI BAVHVSII
 ANTVERPIANI,
 è Societate IESV
 EPIGRAMMATVM
 LIBER II.

*Ad Iuuentutem ventri vinéque
 deditam.*

Qv i Cererem largè, Baccheaq; pocula sumis,
 Heu puer in foribus quam tibi grande
 malum est!

Ah quā grande malum ! quantū Medeides herba
 Nec noceant Circes pocula sumpta tibi.

Non dens aspideus, rabidæ neque morsus echidnæ,
 Non iaculi celeres, tardi pedesque boæ;

Non salamandrinum, crocodilinumque venenū,
 Non seps, non natrix, stellio, dipsas, hydruss,

Non pota inferni sanies Lethæa fluenat
 Nec Phlegethontéi fellea spuma canis.

Expectas diræ nomen miserabile pestis?

Dicere mens odio, lingua pudore negat.

Nec tu iam dubitas, Cererē post, post & Iacchum,
 Tertia quæ venis flamma timenda tuis.

Aut cessa, aut veniet iam nunc tibi ; quæ quòd ad
 omnes

Dira venit, nomen à veniendo tulit.

B 3

Cicer
 l. 2. 1

natur
 deorn

Venus
 dilec

quòd
 omnes

venient

In imaginem pueri Iesu Crucem ferentis.

Quod scelus, ô oculi, facinus quod cernitis? heu!
En roseum, ambrosium, lacteolum, aureolum,
Nudulum, &c., heu, tenerum puerum trabe colla
grauatum,

Lassantemque humeros, plumeolumque latus,
Ah, ah, ah, mi parue Puer, mi magne Creator!

Quò tibi Crux? figi non potes ante virum;
Non potes ante virū; sine nūc, sine. non sinit, vrget

Cum Cruce iter, verbis reddit & ista meis:
Cùm fuero maior, maiorem vt tollere possim,

Hanc paruam à teneris tollere disce Crucem;
Tu quoque mox maior, maiorem vt tollere possis,
A teneris paruam tollere disce Crucem.

Pateri culpa.

Non amo peccantem, sed atmo peccasse fatentem,

Vt placet in Mauro corpore dens niueus;

Vt placet in tenebris rutilans coma luminis atrei;

Vt placet in nigro lucida gemma peplo;

Lactis vt in mediâ candet lolagine gutta,

Vt nube in piccâ fulgida stella micat.

Denique quām placeant Superis sua crima fassi,

Manasses, Petrus, Magdalis, atque Latro;

Carcere Manasses, lacrymoso Petrus in antro,

Sub Cruce Magdala flēs, in Cruce Latro docet.

Vita brevitas.

Stulte quid Euboici speras tibi pulueris annos?

Quid Pylios speras vitrea bulla dies?

Disce mori: dum vina, rosas, vnguentaque poscis,

Et noua fila lyre, mors tua fila secat.

Catha-

Catharina & Thisbe.

Candida castus amor, turpis facit omnia nigra;
 Nos cruor hoc Thisbes, Costi adisque doceat:
 Costias en niueum dat lac pro sanguine; morus
 Sanguine Thisbaeo, candida, facta nigra est.

Me.
tam.*Femina.*

Regulus ut visu, Siren Acheloja cantu,
 Et necat affictu Thessala saga leui:
 Sic oculis, manibus, sic vrit femina cantu;
 Sic trifidum fulmen Vxioris esse queat.

D. I O A N N E S Amoris Euangelista.

Dium Anterotem Christiani pectoris,
 Ignemque sanctum Charitatis mutuæ,
 Quod pæne in omni Euangelista Palmius
 Sonetque paginâ, sonetque lineâ,
 Mirare nemo; namque Zebedæidem
 Amans I E s v s, omne ei fel abstulit,
 Pro felle, mellis dans ei vesiculam.

*De vita Christiana binio,
ad Ephesum puerum.*

O crispe flavâ blande puer comâ!
 O verne floscule,
 Acti virentis primula purpura,
 Decusque lacteum,
 Nondum genatum poma rubentia
 Cui crine nigricant.
 Audi monentem, nec mea, mi puer,
 Dictata despuc.

B 4

Tibi

Tibi hinc & illinc semita panditur

Virtutis & vitii:

Resiste: vita hic est Biuum tuæ;

Resiste, quò ruis?

Resiste testor; non leuis alea est

Quam legeris viam.

Errare vita si in biuio tuæ

Non caueris miser,

Maestabere olim, fata vbi venerint,

Cælesti ab Hercule.

In superbum.

Sis licet Encelado, Tityo, vel Orione maior,

Nec minor Iapeto, centimanoque Gyge;

Sit Titaniaco maius tibi robore robur,

Et serpentigeris par tua dextra viris;

Sis Typhon, Antæus, Atlas, sis carnea turris,

Si tamen ipse tibi nitere, pappus eris.

Quis verè Catholicus, ad Batauos hereticos.

Catholicum tumido iactat se Barrauus ore;

Nauiget ad nigri regna Melampodij,

Anticyrasque bibat toras, purgetur ut illo

Barbara qui stolidus pectora fastus habet.

Vos Bataui, vos Catholic? quibus impia Roma est,

Et meretrix Babylon, & Sodomæadomus?

Tum vos Catholic, cum nox lux, candida nigra,

Cæli dicentur Tartara, Disque Deus.

Non, non: Catholicus, Bataui mihi credite, nemo est,

Quam * PAULVM nostrum qui putat esse

PETRVM.

De

Decasā Poësi.

Nil nisi virgineum, Lector, mea Musa propinat:
 Nam Cyprij lasciuā tela cæculi
 Non hīc vlla sonant; non hīc quæ frēnat olores
 Pætis ocellis ludit, aut ludit iocis.
 Ludimus; ingenui verūm intra claustra pudoris:
 Excedere hæc, non ludere est, sed lædere.

Ad B. FRANCISCVM.

Cūm genus aligerum dicis FRANCISCB sorores,
 Fratres, lanigerum, cornigerumque pecus;
 Scilicet exiliunt, & blando murmure grates
 Reddit ouis, dulci & carmine reddit auis.
 Nec dubito, fandi fieret si copia, fratrem
 Teque vocaret auis, teque vocaret ouis.

CAELVM NON SOLVM,
Scitum R^mi Caroli Philippi Rodoani^j
Brugensis Episcopi.

Audite gentes vltimæ,
 Vel quæ rigetis Arctico
 Aquilonioque sub Ioue;
 Vel quæ caletis ignibus
 * Disci rubentis, & ætherem
 Perfulgurantis lampadis:
 Nostisne Rodoanium?
 Illum cui, ore in aureo
 Aurea perennè voluitur
 Vox ista, CAELVM NON SOLVM.
 Hoc manè, serò, domi, foris,
 Hoc ambulans, hoc & sedens,
 Hoc cœnitans, hoc & studens,

* Tunc
appa-
ret.

Cum purpuram sumit dies,
 Cum sera ponit, hoc sonat:
 Siue hora currit lucida,
 Seu uigra currit, hoc sonat:
 Hoc ianuæ, hoc & vitreæ,
 Hoc infula, hoc & annuli,
 Hoc abacus, hoc & scrinia,
 Hoc & sigilla, & icones,
 Hoc non superba synthesis,
 Hoc symbolum ferunt libri.
 Res mira certè, & pluribus
 Miranda rugis, pluribus
 Canenda per mundum tubis.
 Quid ergo? in annos posteros
 Iam magne Præful nomine
 Vocaberis mihi nouo,
 Non te vocabo Carolum,
 Non Brigidarum Præfulem,
 Clarumve Rodoanium,
 C A E L V M vocabo, non s o L V M;
 Hoc inde erit nomen tibi:
 Quotiesque plantis accidam
 Hierarchicis pauens tuis,
 Dicam, nec absque lacrymâ,
 Dulcique rorans gaudio,
 Salueto C A E L V M non s o L V M.

Pygmae Epitaphium.

Hæc tibi Pygmæo domus est æterna sepulto,
 Parua quidem, domino sed tamen apta suo.
 Vixisti, paruis poteras cum currere in armis,
 Nunc Palamedæo victus ab yngue iaces.

Fila

Fila tuae fuerant adeò subtilia vitæ,
Neret ea ut speculis de tribus una Soror;
Sed tamen & tenuem discerpit forfice lanam,
Et quæ vix potuit filia videre, scidit.

Scipio Maior, de Clypeis.

Nil mihi vobiscum est, ignauæ hinc cedite lamnæ,
Ite alio clypei, vos leuis Afet emat.
Mars ego Romanus; tunsa hac iacet Africa dextræ,
Scuta gerat lœuâ, dextera lœua cui est.

*Vox trium linguarum.**Serpus.*

Sesquipedalis sum, Tiberina, Hebræa, Pelasga,
Et voce in mediâ pars mihi pulcra rosæ est.
Tres habeo dêtes, Graiū vnum, vnumq; Latinum,
Tertius Hebræi de canis ore venit.
Si me non dicis, dicis; si dixeris, erras:
Cuncta Deus faciat quæ queat, ista nequit.

De Thaliâ suâ.

Versibus in nostris nulla est ampulla, tuménsque
Pulmo, non stomachus, non calidum igne iecur;
Non dens, non vnguis, non sœua Attréaque bilis,
Hipponactei sanneaque nulla salis:
Non hic nascentis color est, vuæque puellæ
Semirubens pallor, semicinisque rubor;
Improbus ille color, turpi quem Zoilus ore,
Quem gerit ore Bion, quem gerit ore Theon:
Non ullum hic pinsit crepitante cicunia rostro,
Non ullo hic rhoncho naris adunca sonat:
Denique simiolus, coruus, vulpecula nulla hic:
Hæc modò si mala sunt, nostra Thalia bona est.

*In DEIPARAE & D. BERNARDI effigiem, cui
vulgò aſcriptum, Monſtrate eſſe Matrem.*

Quid eſſe poſſit hac tabellā dulcius?
MARIA dulcis, dulcis hīc BERNARDVS eſt;
Est mellis huic, eſt laetiſis illi copia;
Laetiſua mater, filius mellifluus;
Quid eſſe poſſit hac tabellā dulcius?

Bos Bethlemiticus, ad Calites.

Vah! quid Agenoreæ Bos poſſidet aſtra puellæ?
Pellite Cælicolæ ſidus; adulter erat.
Purus ego, cum CHRISTO olim, cum VIRGINI
Matre
Bethlemio in stabulo viuere dignus eram.
Tunc ego, tunc calidas afflabam leniter auras
Ad Pueri cunas cùm fera stare hyems.
Ibant ad Pharios; ibam ad Pharios comes agros,
Sarcinulis ſanctis & pia terga dabant.
Mox ſio & pretiū; CHRISTI, MARIAEque, ſuaq;
Pro vitâ Ioseph vendidit ære meam.
His meritis, Superi, cælum peto; cedat adulter,
Et Bos ſim cælo, qui fueram in stabulo.

Aſinus stabuli Bethlemiticij.

Cornipedes fuluum fræni qui mandatis aurum
Cedite, non ullus ſe mihi iactet equus.
Numen ego his oculis vidi; lunauimus iſtos
Ante Deum poplites. quis mihi certet equus?
Frigus erat, noſtræ fecerunt gutturis auræ
Mitius ut ferret flabra Borēa Puer.
Cùm gemeret, tristi certè ſimul ore gemebam;

Et

Et mihi guttabant lumina flente Deo.
 Quin & hero Iacobigenæ non Arcade gressu,
 Quidquid opus, Cererem, flumina, ligna tuli.
 Ligna tuli? nihil hoc; cæli terræque Monarcham
 In Pharios diâ cum Genitricce tuli.
 Iam scio me laudas, & Equi me nomine donas:
 Nolo; plus Asinum est esse Tonantis Heri.
 Me laudare voles? Asinus vocer aureus,* ille ut
 Impurus nosci desinat atque legi.

Ap-
puln.

*In Larum Frisium, Iudicem bonum,
 virum malum.*

Prudens & catus es Lare,
 Iudex iustus, & integer,
 Et plebi clypeus tuæ:
 Ides potor & helluo es.
 O quem te Lare dixerim?
 Magnum. Porcius es Cato.

M. Tullij Ciceronis tumulus.

Hic Tulli cinis est; cui si sua lingua daretur,
 Diceret hæc Romæ paucula verba suæ;
 O vrbs sœua lupæ! quondam te sanguine Fratris,
 Sanguine nunc maculas te scelerata Parris?
 Sicne paludati Ciceronis? sicne togati?
 Consulis atque Ducis siccine colla metis?
 Innocui? fidi? facundi? denique Tulli?
 Præ propriâ cui res publica semper erat.
 Sed nostro centè queror hæc de sanguine frustra,
 Sanguine cùm memini te maduisse Remi.
 Nempe & nutricē, & sequeris fera Roma parentē:
 Sanguinea hæc, atque hic; Romulus, atq; Lupa.

B 7

Qua-

Quatuor Elementa quid in homine efficiant.

Terra, Vnda, Aura, Ignis, sunt corpore quattuor
hostes,

Hinc nobis Fastus, Duritia, Ira, Venus.

Vnda parit Venerem, ventosâ Fastus ab Aurâ est;
Duritia è Terrâ est, Ignibus Ira venit.

Rarus Amicus.

Nondū alter Pylades, nondū alter natus Orestes,
Rara est in terris fidus amicus avis.

Cuilibet ergo caue, nudes ne pectus amico:
Hic Damon poterit crastinus esse Theon.

^{a Amor} Tam citò nunc certè mutatur amicus in hostem,
^{b Lis.} Quàm citò mutatur nomen ^a ΕΡΩΣ in ^b ΕΡΙΣ.

Lex & Lis.

Filia lex litis; bona filia, pessima mater:
Filia lis legis; mater bona, pessima nata.

Ad Io. Brantium Philologum, de Musis suis.

Omnia si laudas mea, Branti, cæcus amore es:
Omnia si culpas, cæcus es inuidiâ.

*De temporum nostrorum vitiis,
ad Odonem Rosianum.*

De tribus superesse nil metallis,
Nil fului, niueique, Cypriique,
Tota at ferrea sacula esse nostra,
Sæpe, Odo, gemis ingemisque frustra:
Gemis quod tuba, Martiumque cornu,
Vicos & trepidas volet per urbes,
Horrida, horrida, bella, bella, cantans;

Gemis

Gemis tela perambulare sylvas,
 Passim & iurgia, feruidasque rixas,
 Scruæ & prælia non deesse linguae;
 Laporumque, canumque, vulpiumque
 Nostris moribus immigrasse mores.

Sunt hæc, ô Odo, veniora veris,
 Sunt, sunt, & dolet, & pudet, pigetque;
 Sed horum, ô bone, causa quæ malorum est?
 Patent vulnera, nec patet medela:
 Imò iam patet; vnicæ hæc medela est:
 Fient aurea sæcula, aufer aurum;
 Nam sunt ferreae sæcula, propter aurum.

De B. IGNATIO LOIOLA,
Societas Iesu Fundatore.

LOIOLAM ut toto vidit splendescere mundo
 Phœbus, & Heliacas spargere ab ore facies;
 En mundi noua lampas, ait; discedere certum est,
 Terra etenim Soles non capit una duos.
 Audiit, & rutulum quauiens caput æthere in alto
 Rex Superum, astrifero reddidit ista polo:
 Quò fugis alme Phanes? pullos cur sumis amictus?
 Ora quid obnubis flammæa? prome caput.
 Sol eris, at non solus eris: LOIOLA iuuabit;
 Tu terris, hominum Sol erit ille animis.

Mnemosyne mater Musarum.

Cur te, Mnemosyne, pingit ter littera terna?
 Ter terna est, inquit, filia docta mihi.

Amos Petrisonius Batauus non Batanus.

Batauus est, nec crassæ auris, nec mentis opacæ,
 Sed subtilis Amos, & habens in pectore lynxem;
 Hunc Bataui laudant, sed non ego: Degenerauit.

Mollis,

Mollis, Dura, Femina.

*Me-
tam.
 Ut Trigamus cecinit *ter quino in carmine Yates,
 Facta cinis Semele est, facta lapis Niobe.
 Facta cinis Semele est: quis credat? non ego, Naso.
 Femina durior est, fiat ut vlla cinis.
 Facta lapis Niobe est: qui possit femina? numquam
 Femina mollior est, fiat ut vlla lapis.

Ad Marianum, de Camillo anare.

Quòd bene seruet opes, laudas, Mariane, Camillū;
 Scrinia laudari sic, Mariane, solent.

In Afrum pauperem & arrogantem.

Vnius dominus cùm vix sit celsitus Afer,
 Prædiolum stultus vendidit; emit equum:
 Tantum gaudet equo: cur tantum gaudeat, audi;
 Ciubus ut possit celsior ire suis.
 Sed lepidam Nemēsin! cùm sit longissimus Afer,
 Et sit nanus equus, Afer eques pèdes est.

Virtus & Ventus.

Mascula quòd Virtus muliebri pingitur ore,
 Quodque leues Venti masculine ora gerant;
 Non idcòrumidis iactet se femina verbis,
 Nec generosa viris purpuret ora pudor.
 Dicta per Antiphrasin sunt olim plurima priscis;
 Nos hæc credamus picta per Antiphrasin.

In Tumulum M. Antonij Mureti.

Hospes sta, tacitusq; aurem arrige; namque Mureti
 Fama hic est cinerem post sua fata loqui.
 Credere nec pigeat; nam tanti Rhetoris, & tam
 Docti oris, mutus qui queat esse cinis?

Graz-

*Grandavo, Optimoq; Parenti suo
Ghisberto Bauhusio Serena.*

Ite procul curæ, discedite pectoris umbræ,
I mea nox, & lux lætitiae alma veni.
Dic Bernarde io, bis io, ter io, quater io!
Numina nam precibus sunt pia mota tuis.
Oraisti seros genitori Nestoris annos,
En Superi seros exhibuere dies.
Nōnne vides? certè; iam quadragesimus illi
Bis rediit Cancer, bis rediitque Caper;
Nec frons est caperata tamē, nō mēs labat, aut pes,
Non illum vires deseruere viri:
Cygnorum niueæ sunt illi ad tempora plumæ,
Sed manet in mediis os roseum niuibus:
Verque hyeme in mediâ est, & Maius mense De-
cembri;
Estque tripes ætas, sed tamen ipse bipes.
Verne Senex, tibi fulminiger de nubibus Ales,
Remigio Phœnix plaudit & ipse suo.
Ergo ego sic Superos non ficto compredor ore,
Vt vel cuncta meæ dent tibi fila colus.
Viue, vale; tum qui nunc annus proximus instat,
Sit tibi * Aristarchus, sit tibi * Aristoteles.
In effigiem Petrarcha dupli lauro cincti.

Præcincte ianitrice Cæsarum lauro
Petrarcha magne, fronde Thesialæ Daphnes
Phœbiique amantis; cincte dupli serto,
Latio, Italoque; illa, illa quam geris laurus,
Vates suëta ceteros coronare,
Non te coronat, ipsa te coronatur.

* Boni
princi-
py.
* Boni
fuis.

In sculptorem bone sculpentem, male viventem.
Cum tibi tam similes singas de marmore vultus,
Et facis humano spiret ut ore lapis;
Ecquid ab humanâ tantum ratione recessis,
Admonitus, surdus ut videare lapis?
Metamorphosis! tibi saxa simillima fiunt,
Tu saxis similem te facis esse tuis.

*In P. Antonium Criminalem Parmensem
 presomartyrem Soc. Iesv.*

O Martyrum, Antoni, alpha purpuratorum,
Qui colla primus laetansque ceruicem
Ferro dedisti demetenda fatali.
Qui te lyrave, barbitove, plectrove,
Cornu, rubave, concinam, triumphali
Nam vel silentio premendus ingrato es,
Vel hisce canctis, pluribusque cantandus,
O plurimarum Antoni athleta palmarum!

Ad eundem.

Dulcem pro Christo patriam fugis, Italaque arua;
India sed dulcis patria facta tibi est.
Nam moriens, felix cœlo qui nascitur, huic non
Patria ubi exoritur, est sed ubi moritur.

Vita brevis.

Homo miselle diuites
Quid spes in altum fabricas,
Quando vel hæc inania
Cum morte verba diuidis?

Domi-

*Domitianus Imp. inter distenos pueri precul
positi digitos sagittas dirigere norat.*

*Laudem? nō faciam. Nam si tua spicula in hostem
Sic mātis, sancē es, Domitiane, rūdis.*

Panigarola Epitaphium.

*Hospes sta, tacitusque aurem arrige; Panigarolæ
Nam fama est cinerem hīc, post sua fata, loqui.
Credere nec pīeat: nam tanti Rhetoris, & tam
Docti oris, mutus qui queat esse cīnis?*

De amore divino.

*O cui cor Christus terebravit arundine amoris,
Hoc qui vulnus habet, quām leue vulnus habet!
Hoc qui vulnus habet, non immedicable, & atrox
Abdita quod populet viscera, vulnus habet,
Non tabet metuat, non hinc sibi credat ituros
Horrida præcipites mortis ad antra dies.
Nam cui sunt diā præcordia fossa sagittā,
Huic via facta boni est maxima, nulla mali.
Hoc qui vulnus habet, vitæ dispendia sentit
Nulla, sed è dio vulnera robur habet.
Hoc qui vulnus habet, mens huic sine nube peren-*

nis.

*Sempet ei è nitidā fronte serena dies.
Hoc qui vulnus habet, Super! quæ gaudia carpit?
Gaudia quæque aloës nil, neque felli habent.
Hoc qui vulnus habet, Christi ut mādata facessat,
Vertere Threicias nititur antè animas.
Præcipitat, ruit, exilit, & volat; ô bone Iesu,
Hoc qui vulnus habet, quām leue vulnus habet!*

Fran-

Francisci Flori Pictoris Fortuna.

Apellis ille, & æmulator Zeuxidis
Florus, superbæ nomen ingens Belgicæ,
Volubilem cùm pingeret Fortis rotam,
Pinxit videntem, sed chiragricam Deam:
Videt sat, inquit, sed satis dat nemini.

In luctuosum Iusti Lipsi obitum.

Sunt busto in Pario, sunt qui tumulantur eburno,
Sunt qui marmoribus, **LIPSIVS** in lacrymis.

De Galbulâ puero Grammatico.

Galbula Grammaticæ semestris tiro palæstræ
(O multi splenis fabula, vera tamen!)
Asocio nuper, dum fit sine sanguine pugna,
 Vrgetur Mortis quod putet esse genus?
Est commune duūm, dixit: quod sic probo, **Mor-**
tem
Femina, vir, fecit; femina, vir, patitur.

*In quendam qui malis artibus nobilitatem
sibi opesq[ue] parauit.*

Purpura nunc, olim te rustica gausapa texit,
Factus es hamatis Prætor Equesque dolis.
Nunc tibi quæruntur venturæ insignia Genti,
 Stellæ, Aquilæ, Cedri, Lilia, Castra, Rosa;
Quæritur & Genti breue Symbolon: accipe quod
vis

* Sine
fraude. Sed Memorenciacum ne capias *ΑΠΛΑΝΩΣ.

Quid

*Quid Columba & Serpens,
ad Marinum.*

Vt nulli noceas, columba fias;
Vt nemo tibi, sis, Marine, serpens.

Ad dulcissimum Puerum IESVM.

O mundi princeps facies, pulcherrime rerum!
O Puer aurata cæsariate comâ!
Non amo te, IESV, si possim dicere quantum:
Tantum amo te, tantum, mi PVER, vt taceam.

*Ad Fabium Neomyftam,
de Sacerdotum dignitate.*

Mysta Fabi, sacro nuper qui lotus oliuo,
E Cerere æternum nunc facis ire DEVUM:
Cerne apicem, culmenque tuum; quam prenderis
arcem!

Aspice quantus Athos! te tamen ille timor.
Ex quo sacrificæ potarunt chrismata palmaræ,
Et nitet in sancta pulchra corona comâ;
Iam Regum trabeata premis, baccataque colla,
Inque tiaratos sunt tibi iura Duxes.

Ipse tuis Cæsar genibus minor; ipse Philippus,
Felix auriferi cui natat vnda Tagi,
Gemmiferas cui purgat aquas niger Indus, & om-
nes

Diuitis Auroræ cui properantur opes.
Sic placitum Superis, socco seruire cothurnos;
Parque Sacerdoti nil, prius esse nihil.
Despice, sub pedibus totus tibi sternitur Orbis;
Suspice, quod videas nil nisi Numen habes.

Sere,

Sere, Metes.

Quæ serimus, metimus: **vetus hæc & publica vox**

Si sero lina, meto; far sero, farra meto. (est:

Spicea dona sero, Cereris meto spicea dona;

Hanc seruat constans annua terra fidem.

Non hæc Christigenis lex est: contraria namque

Pf. 10.

Quam serimus, metimus; Psalmicen ista canit.

& 11;

Gaudia qui serit hic, poenas metet in Styge: poenas

Qui serit hic, cælo gaudia magna metet.

Qua viri fortis patria.

Omne solum fortis patriæ est: fortē excipe nautā;

Pontuagis nautis omne salum patria cit.

In Macrum immitis ingenij hominem.

Nescit flere Macer, tenerā nec fronte pudere,

Dicere nec blando mitia verba sono:

Durus homo certè, mediā velut erutus Ossâ,

Aut Agragantinis sectus ab illicibus,

Cui duo sunt silices oculi, frons ferrea, pectus

Lemniā ab incude est, cor quoq; marmor habet.

Stemma tamen jactat ceu priscū & nobile: nempe

Pyrthâ est matre satys, Deucalione patre.

Philoni Cordio, Poëta eximio, amico singulari.

Quis syluā in syluas? quis in æquor deferat vndas?

Mel quis Aristæo? poma det Alcinoo?

Affider insano qui fecerit; hæc, Philo, caussa est

Quod quæ mitto aliis, non ea mitto tibi.

Si mea mel, si poma, & syluz, & sint tibi lymphæ;

Tu marc, Aristæus, sylua es, & Alcinous.

S.B.A.R.-

S. BARBARA.

Barbara sum, non sum: mihi sum pectora Virgo;
 Sed qui me genuit, barbarus ille fuit:
 Ille meo tragicum rubefecit sanguine ferrum,
 Et Pater, & Lictor, messuit ense caput.
 Sic ferus ille fuit: mihi leni lenius amne
 Ingenium, & mihi mitius est oleo.
 Me quicumque vocat, venio Patrona vocanti,
 Et lætam morte porrigo Diua manum;
 Aegrorum miseris pronas do questibus aures,
 Et lacrymas sequitur lacryma pæne mea.
 Tum subiti fallax lethi quos opprimit hora,
 Sacramentorum munere Diua iuuo:
 Gloria nam nostra hæc; presens ego Barbara credor
 In desperatis mortibus auxilium.
 Hoc agri, hoc urbes, ramosa hoc compita clamant,
 Omnibus hoc templis pulpita sancta sonant.
 Ergo ego tam mitis, cur dicar Barbara, mitte
 Quærcere; quod non sim barbara, facta docent:
 Sed Parcae ut parcunt, ut Luci lumine lucent,
 Ut Bellum est bellum, sic ego Barbara sum.

Ad Regulum, de Suffeno quedam.

Regule quid frendes? vili quid ringeris irâ?
 Suffenum quemdam, vatis vix nomine dignum,
 Nasonem sese populo iactare secundum?
 Sit Naso, modo de Ponto quoque, Regule, scribat.

Homo Bulla.

O doctus Puer, in salace conchâ
 Lucrinâ, Siculâve, Belgicâve,
 Sarranâ, Cypriâve, Perlicâve,
 Qui primus docuit salice Bullam!

Ec

Et tam, mirificumque, dædalumque,
 Iussit surgere de luto nitorem!
 Huc huc, mi Puer, en tibi quod optas:
 En h̄ic tortilis, en adunca concha,
 Ponti in cæruleis gelata campis:
 En Mephitica gutta, qualis infrā
 Per nigras pigra repit vnda ripas:
 En haſtilia, tulliosque læues:
 Hæc cape arma Puer, citusque doctum
 Inspira calamum. capeſſit arma,
 Complexumque corallinis labellis
 Inspirat calamum. Morare Bulla?
 Moraris pigra? quid morare? clausa est
 Omnis carcere turbulentia Fratrum
 Turba, & Aeolio furit sub antro;
 Pax nunc vel folio est arundinique.

Prodi Bullula, bella Bulla prodi.
 Prodit, prodit io. Eoa qualis
 Quæ noctem ſepelit, diemque dicit,
 Virgo comta venit; rubens pyropis,
 Flauens chrysolithis, virens limaragdis:
 Hinc ianthina, lutea, alba, glauca,
 Inde coccina, fulua, ruffa, rufa.
 Sic & Bullula cùm ſemel coruſca
 Hausit fulmina flammæ diei,
 Vultus mille rapit, tot ei colores
 Depingit radiis volans Apelles.
 Hinc pallet violamque, amaracumque,
 Hinc rosam rubet, igneamque caltham,
 Hinc flauet, viret hinc, & inde liuet,
 Cærula, aurea, lutea, albicansque,
 Fulua, flammæa, glauca, ruffa, rufa;

Tandem

Tandem mittitur ire Bulla in auras,
 Et toto sinitur natare celo;
 Quam circum pueri & canunt puellæ,
 Bella Bullula, bella, bella Bulla,
 Bella Bullula, bella, bella Bulla.

Mox si cui puerō, aut cui puellæ
 Accessit satias, nouamque poscit,
 Hanc senem vocitans, aniculamque;
 Illam, eheu, necis insciām dolique,
 Tangit aut pueri, aut malæ puellæ
 Flatus vnicus, & labascit vnicō.
 O Homo, ô homo, Bulla, Bulla, Bulla es!

Ad Linum, de nostri temporis Helenis.

Sæpe me, Line mi, soles rogare,
 Cur spreto rosei decore vultus,
 Nostræ sic modò palleant puellæ;
 Non porphyriacis genis, labrisque,
 Ut quondam Antiope, & Lacena imago;
 Totæ at pallidulæ & cadauerosæ,
 De ruptis velut exēant sepulchris.
 Caussam mens mea repperit latentem,
 Caussam repperimus, (sed ô superbam!)
 Ut pulchræ, Line, sint vel in sepulchro.

Ad Syluiam quasillariam.

Divitem esse, cui satis est.

Viue colo contenta tuâ, bona Sylvia viue,
 Et te Reginam Cæsaridemque putâ.
 Namque domum, laticem, & Cererem, pallâ-
 que, togamque,
 Denique quod satis est, dat colus vna tibi.

C

Plus

Plus dare Fortunæ nequeat tibi tota crumena;

Namque Hermi, & Gangis totius, atque Tagi,
Sceptrorumque, Tiararumque, Coronarumque
Finis hic & meta est, totaque summa, SATIS.

In amicos ollares.

Vita Cœnipetas, vagos Gnathones,
Nec blandos licet, æstimes amicos:
Illis dum calet olla, amor calebit;
Frigebunt citò, si culina friget:
Non te, sed tepidum colunt caminum;
Illis, sumus vbi est, ibi est amicus.

De temporibus nostris, ad Victorem.

Sæcla ferrea, Victor, esse nostra,
Soles clamque palamque clamitare;
Tecum sentio, sentioque contrâ:
Nam sunt Saxa, viliora ferro.

*Tumulus ALEXANDRI FARNESII,
Belgica Gubernatoris clarissimi.*

Quis cubat hîc? Princeps, factis & nomine Magnû
Pellæum referens: hoc satis, hospes; abi.
Stâsne etiâ? quam flentem hîc carnis, cetera dicet,
A fletu ut poterit Belgica Nympha loqui.

M. Tullio Ciceroni in exilium missô.

Cùm Latâ, Tulli, pepulit te liuor ab vrbe,
Romaque Romanam linquere iussit humum;
Ah queis tunc lacrymis, quibus & singultibus, ora
Mascula turpasti, Patriciasque genas!
Pelleret immiterò quod Patriam Patria, quodque
In-

Interdicta forent ignis & vnda tibi.
 Hæc voces tunc, Marce, tuæ: sed quā modō velles,
 Interdicta forent ignis & vnda tibi!

Anima & Caro.

Quæris, cur Animâ Caro fortior? accipe caussam:
 Hic Carnis patria est, hic Animæ exilium est.

*De Stimulo Diuini Amoris D. BONAVENTURÆ,
 ad Pamphilum.*

Pamphile, Seraphicâ si vis ignescere prunâ, Isaie 6
 Huc ades, hunc Stimulum perlege, Amoris opus.

Hic tibi sic tenerum fodiet, mi Pamphile, pectus,
 Ut mox è tenero purpura corde fluat.

Nec tenerum tantum, potis est & frangere durum,
 Imperfossa Isthmos si cui pectus erit:

Et tibi si ferrum est, fiet sera ferrea, cera;
 Et si sint multo corda ligata gelu,

Ilicet ignis eris: frangit Liber iste, domatque

Quodlibet & marmor, quamlibet & glaciem,
 Quolibet & silices, & ferrum quodlibet, omnem
 Duritiem Libycam, frigus Hyperboricum.

O Super! parui quæ tanta potentia Libri est!

Ah, ah, quid patimur, Pamphile, quid patimur?
 Sentis quam stimulat? quantis calcaribus vrget

Ad iuga virtutum? quam fodit atque ferit?

Sentimus certè: at pigri, quo nempe vocantur,
 Nec meus hic Asinus, nectuus ibit Equus.

De Vitâ, & Rosâ.

Vnam multa Rosam cingit spina: Eugenarum
 Hæc vita est; lata hic paucula, multa dolent.

C 2

Regi-

Regibus imitandus Nero.

Regibus exemplum damnor statuisse Neronem:
 Hac ego pro culpâ palleo, nec rubeo;
 Nunc etiam voueo hoc, imitari sceptrâ Neronem
 Omnia; Quinquennis sed meus ille Nero est.

*Traia.
ni dñi*

*In Rhetoricos libros Cypriani Soares
Soc. Iesv.*

Thrax licet aut Arcas fueris, pinguisve Batauus,
 Iapetionidæ deficientis opus,
 Ora cui puero non castigauit Apollo,
 Nec Latio tribuit digna sonare foro,
 Huc ades, & Soaresiis quæ tradita chartis
 Perlege non segnis, lectaque mente tene.
 Tum calatum vitreis Tulli laue fontibus; ille
 Ex Arpinatis purior ibit aquis.
 Mox tibi Romuleæ veniet facundia linguae,
 Et fies trepidis gloria magna reis;
 Per te caussa cadet, fuerat quæ proxima lauro,
 Eloquio stabit non bene firma tuo:
 Per te, non nati, repetent sua testa, Tomitæ,
 Quique breues Gyaros, lôga sepulchra, colunt;
 Denique de Batauo Fabius, de Thrace Pericles,
 Arcade de crasso Tullius alter, eris.

*In Stellam, stellati cali aspectum mirè
recreari solitum.*

Cæruleâ in tunicâ quoties nox fulget, & æthram
 Pallida nulla tegunt vela volantis aquæ;
 Lampadij sed enim campi, qui sidera pascunt,
 Phosphoreas promunt cæliuagásque Pharos;
 Tum

Tum tū nulla mora est, pictas se, Stella, sub auras,
 Proripit: Hem, statis, cæli oculi atque meis?
 State rogo, vos lætitiarum summa mearum,
 O sanctæ, ô sanctæ Cælituum faculae!
 Argus ego, vel milleno sim lumine cinctus,
 Noctem nox oculis non feret illa meis:
 Si modò vos stetis mea lumina, lumina mihi stent;
 Mille oculos cæli, mille videbo oculis.
 Sic fando, stat statim, ac usque sub ætheris aurei
 Fulgentem clypeum, lumina fixa tenet.
 Gaude, Stella, astris; sed quæ sic suspicis astra,
 O quando dabitur desplicere illa mihi!

Circumcisio & Crux CHRISTI.

Manè nouum, sparsum saturo tristiisque rubore, M. x.
 Tristes portat aquas, ætherianque hyemem: 16.
Cruelis teneri sic Circumcisio CHRISTI
 Clamat: Huic Puer, flagrante, cruxque manent.

S.BARBARA de se, & patre Dioscoro.

Barbara ego, genitorque Dioscorus: ô malè facta
 Verba: Dioscra ego, barbarus ille fuit.

*Quæ CHRISTI Grammatica,
 ad Celsum.*

Grammaticam CHRISTI paucis te, Celse, docebo;
 Totam scies & feceris,
 Si Luxum, & Bacchum, si Cyprida declinaris,
 (Mala nomina, ah! mala nomina:)
 Si per ego, plorare, pati, vigilare, precari,
 Bona verba coniugaueris.

DIVÆ , OPTIMÆ , MAXIMÆQ.
 MATRI-VIRGINI
 M A R I Æ,
 ADMIRABILEM HVNC,
 VNIVS LIBRI VERSVM,
 VNIVS VERSVS LIBRVM,
 CHRISTIANVM PROTEVM,
 tot ora scilicet, quot cœlum sidera gerentem
 (verti enim potest, millies, bis & vicies,
 sensu saluo & Heroici carminis lege)
 nostri in cœli Reginam affectus
 monumentum hoc ponimus sempiternum.

TOT TIBI SVNT DOTES, VIRGO,
QVOT SIDERA CAELO.

In eodem hoc Proteo retrogrados ver-
 sus pæne centum est inuenire.

DEO

DEO OPTIMO MAXIMO
 ÆTERNI DEI FILIO
 CHRISTO IESV
 MVNDI SERVATORI
 PROTEVS

è variis Sacrarū litterarum locis deponitus,
 priore longè admirabilior;
 nam sensu saluo, & Heroici carminis lege,
 verti potest 3628800. scilicet,
 tricies sexies centies millies, vicies
 octies millies, & octingenties.

Rex^a, DVX^b, SOL^c, LEX^d, LVX^e, FONS^f,
 SPES^g, PAX^h, MONSⁱ, PETRA^k, CHRISTVS.

^a Apocal. 19. ^b Matth. 2. ^c Malach. 4. ^d Michæl 4.
^e Ioan. 1. & 8. ^f Zachar. 13. ^g 1. ad Timoth. 1. ^h ad
 Ephes. 2. ⁱ Psal. 67. Daniel. 2. ^k 1. ad Corinth. 10.

Crux bonorum.

Dulcis vita pii, & purè est mellea; quando
Nec Crux deliciis caret.

ANDREAE fratrem, PETRI fratrem aspice; rident,
Tollunt in Cruce iubila.

Et Crucifixorum dena aspice millia; rident
Pleni pectora gaudiis.

Cæruleasque genas MACARI, pallentiaque ora
Cerne SERAPHICI PATRIS;
Nubila non cernis, quamuis pallentia cernis;
Intus gaudia, gaudia.

Nempe ex quo CHRISTI Crux olim lectulus, inde
Iam sunt deliciae Cruces.

Vxoris Loth punitio.

Obscenam Gomorrhæ hyemem, cum flammœus
imber

Furuaque pix, torto turbine missa polo est.
Mugieruntque auræ, stravitque tricuspidis ignis

Petropolitanas dira sagitta domos,

Omnia cum promiserem armamentaria cœli
Spicula, & indomitum perdomuere nefas.

Iussus ut hæc fugeret, fugit cum Lothide Lothus:
Neu' redeant oculis, lex datur: illa redit;

Viisque coronatam flammis circumspicit urbem,
Heu misera! heu oculos sensit habere salem!

Mox & tota salem Lothis bibit; & sapientem
In statuam, insipiens femina versa fuit.

Ad Valentem, de suis hisce Epigrammatibus.

En promissa, Valens, Epigrammata: nuda sed illo
Quem velles stimulo; non sunt arguta, fatemur:
Tu tamē exspectas: iam sunt Epigrammata, fallunt.

B E R-

BERNARDI BAVH VSII
 ANTVERPIANI
 è Societate I E S V
 EPIGRAMMATVM
 LIBER III.

*Cor suum, spretis floribus,
 CHRISTO Poëta offert.*

PALLENTES violas, immortalesq; amaranthos,
 Et calthæ aureolas, Phœbisequasq; comas,
 Reginasque rosas, & florum lilia Reges,
 Albaque narcissi, flauaque texta croci,
 Iridaque, & nardum, ferrugineumq; hyacinthum,
 Et quidquid florum denique Chloris habet,
 CHRISTE, tibi pleno meditabar fundere cornu,
 Veris opes volucres, deliciasque breues:
 Iamque ardens ibam totum tibi spargere Maium
 Purpureum, prasinum, coccineum, croceum;
 Nā Maij omnigenæ pluma, qmngeniq; colores,
 Et multa in gremio florea messis erat.
 Hanc mihi sed subito vertasti in pectore mentem,
 Et visus tacitæ es sic in ihi voce loqui:
 Mitte rosas manibus vates meus; altera dona
 Poscimus; hæc olim Panque Palesque talit.
 Altera dona Deo vero, sunt altera ferta;
 Non faciunt capiti talia ferta meo.

C 5.

Car

Cor peto. Io dabitur, dabitur cor dulcis Iesu!

Mille darem, Iesu, si mihi mille forent.

Eia cor, egredere: an clausa est via? pectora rumpe,

Rumpe moras, rumpe & viscera, & egredere.

Egreditur. Salve, o animæ pars optima nostræ!

Vitæ delicium, principiunique meæ!

Corculum, io, gaude; iam felicissima fies

Victima, Tergeminio tota litanda Deo.

Ergo nunc violai, melior viola hoc mihi cor est:

I amaranthe, mihi hoc cor amaranthus erit.

Puniceæ ite rosæ, melior rosa nam mihi cor est:

Liliolum i, melius liliolum cor erit.

In narcisse, mihi melior narcissus erit cor:

I hyacinthe, mihi hoc cor hyacinthus erit.

I croce, cum nardo, calthæque ac irides ite,

Cor mihi caltha, crocus, nardus, & iris erit.

Corculum, io, Iesu, sume hoc, mi dulcis Iesu;

Deoque haustum latere hoc in latus abde sum.

Viuo ego, non ego iam, viuit Nasareius in me;

Ille mihi solus corque animamque facit.

Et vos Adamidæ, vos o mecum pia Christo

Corda date. O, qui dat, quam sine corde sapit!

In pulcherrimam VIRGINIS-MATRIS,

PVERIQ. Iesu ex are imaginem.

Empyrei Regina potens, Princepsque palati,

Gloria cæruleæ, stelliferæque domus;

Aspice sidereis de collibus, aspice Virgo

Aera hæc in vultus tam bene ducta tuos.

Nonne stupes, quam te fabrè muta æra loquatur?

Quam non intentita est villa tabella minus?

Aspice, sic oculos, sic ora, manusque cerebas;

Hæc

Hæc ibat circum tempora vita tibi:
 Sic rosei fluxere sinus, sic palla fluebat;
 Errabant rutilæ sic sine lege comæ:
 Deliciisque tuis, sic, sic MARIA arridebas;
 Sic quoque ridebant deliciæ, ille, tuæ.
 Vbera sic solita es tua porgere lactea Nato;
 Et sic ille tuis ludere in vberibus.
 Aspice ut hîc rides, (nam rides;) aspice ut arcta
 Oculas, (nam das;) aspice ut ille rapit:
 Scilicet ad vitam propriùs, neque cæla Myronis
 Nec Coæ veniant, Phidiacæque manus.
 O vera! ô mendax! ô certa! ô falsa tabella!
 Fallit nulla magis, nulla tabella minùs.

M A G D A L E N A , *Scenola.*

Mutius errantem dextram ferus ignibus ussus;
 * Si non errasset, fecerat illa minùs.

Ma
ziah.

sp. 7

MAGDALA peccarat, IESVM post fortius arsit;
 Si non peccasset, fecerat illa minùs.

S. STEPHANVS *Protomartyr.*

Sub lapidam sœuo imbre, sonantibus vndiq; saxis,
 Quas, ô, quas Stephanus fundit ab ore preces!
 Saxeæ bella inter, quæ pacis verba profatur!
 Quamque reas nulli percupit esse manus!
 Parce, inquit, IESV, parce hæc ad crimina cæcis;
 Non illis sceleri sint mea fata precor.
 Hæc fanti, mirum quis risus inambulet ori!
 Lupati quam lux blanda supercilij!
 Quis toto in STEPHANO necis ardor! gaudia
 quanta,
 Exiliantque oculis, exiliantque genis!

*S*t.
 patr.
 Siccine amat lapides? sic certè? nónne * **CORONA**
 Ornari multo pulchra velit lapide?

S E R A P H I C O F R A N C I S C O,
quinque sacris Stigmatibus insigni.

Non nequam, **F R A N C I S C E**, bonus Dominóque
fidelis

*L*uc. 12 Seruus eras; plagas cur rear esse tibi?
¶ 19. Dignáne fecisti plagis? dignissima certè:
PLAGIS digna istis nam tibi vita fuit.

B. F R A N C I S C I X A V E R I I v o x.

Eia **D**es, satis est, satis est **D**es: ignibus vror;
Tolle animam, aut si vis viuere, tolle facem.

Nocturna potationes.

*R*ubere dignum est : ipsa nam rubet Fama
Plenum pudendi nuntium ferens probris.
Potare quosdam nocte Principes totâ,
¶ 6. Dormire luce. O Principes tenebrarum!

*In Hunnos, V R S V L A N A R V M Virginum
interemtores.*

Barbariem sœuis tigridum nutricibus Hunni,
Aut Pantherinis suxtis ab vberibus,
Aut Meleagreâ matre, aut Erymanthide mammâ,
Aut si qua in Geticis dirior vlla iugis.
Ah Superi ! nam quæ gens hæc tam plena ferarū?
Plena, vrsi, vri, apri, tigridis, atque lupi!
Plenaque pardorum, vastatorumque leonum!
Plena ignis, ferri, sanguinis, atque necis!
Siccine? Nympharum tot millia, viuâque lilia

Insa-

Insanâ metitis barbaricâque manu?
 Millia tot Nympharum? Hei, hei! crudele fuisse
 De prato vel tot lilia demetere.

Quis amicus?
Ad Philonem Cordium.

Non nuda vox Amicus est, non cassa nux,
 Dilecte Cordi; non, amabilis risus
 Blandique nictus; non ocelli ludij,
 Et dulcè flammans frontis aureæ lumen;
 Sint byssina licet verba, Serum vellera,
 Pæstique cuncta quæ loquare sint flores,
 Sint plena mellis, plena sint amoribus
 Luminâque, & ora, & verba: facta si desint,
 Iam nuda vox Amicus est, & cassa nux:
 Cernitur Amicus amore, more, & ore, & re.

Ad eumdem, de Femina.

Noxia quæ nona est, ô Cordi, femina? laedit
 Quæ mala est, quæque bona est; Penelope, ac *Iliad.*
 Helene. *Odyss.*
 Nec de Cygnigenâ tantum sunt funera mœchâ,
 Sunt & de castâ funera Penelope.

Ilias in nuce.

Ad Paulum Palmerinum.

Iliadem magnam paruâ in nuce Paule videbis,
 Hæc duo si patiens carmina nostra legis:
 Atridae gemini, Laërtius, Hector, Achilles,
 Aeneas, Priamus, Troia, Lacena, Paris.
 Ilias en, nuce clausa vna est: nisi, Paule, negabis,
 Aut hanc Iliadem, aut carmina nostra nuces.

Masso Poëta Iber.

Ad calices nuper, ducendaque pocula vocatus,
 Gloria purpurei Masso Poëta Tagi,
 Baccheos postquam latices, succosque Falernos
 Suxerat, & liquido mens fuit ista Deo;
 Concussit sacrum pectus, Phœbumque citauit;
 Musas, antra, lyras, fontis aquas, & equum,
 Omnia sollicitans uno pro carmine; frustra:
 Sicca in tam madido pectora vena fuit.
 Sed tandem facilis Naso, sic ora resoluit;
Bibite felices, atque hilares viuite.

De Fortune constantia.

Credite mortales, non est Rhamnusia, qualem
 Saeppe facit Pictor, saeppe Poëta facit,
 Mobilis, inconstans, mendax, & perfida; non est:
 Lubrica nec tereti stat super orbe leuis;
uid. v Fida est, & stabilis: probat hoc Sulmonis alumnus;
rif. Semper, ait, constans in levitate suâ est.

Medicus.

Res misera Medicus est, cui numquam bene est
 Nisi male sit quam plurimis.

Roma.

Marte D^eus nullo, nullâ est superabilis arte,
 Ille licet Latius, Graia sit ista licet:
 Numquid Roma doles, seper quę vincere sueta es,
 Nulla quod inuicto est danda catena D^eo,
 Sed ne, Roma, dole; non ille inuictus Amori est;
 Vincere Roma, Amor es; vincere recte potes.

Tr

Tu rerum Domina es; placuit sic Altitonanti,
Ut rerum Dominum vincere versas quæsas.

Hæretici in solestentes puniendi.

Turba Lemanna sacras spenit PETRI impia cla-
ues;

O, gladium PETRO da modo, PAULUS, tuum!

*Ad Aulum Cœnobiticam vitam
nuper amplexum.*

Gratamus, Aule, plaudimus bonum factum:
Fallax, malignum, sæculum reliquisti;
Sacer cucullus induit caput nuper,
Duroque fune molle iam latus cinxti,
Opes, amici, spésque, rèsque permagna
Tibi est relictæ; at plus tibi relinquendum est:
Gerro, Thrasóque, garrulúsque vixisti;
Vano Thrasone, garrulóque nunc exi:
Rex Monachus est; Regnum eius, Aule, Sigillum.

*In pigritiam Domiti⁹ adolescentuli,
literarum humaniorum studiosi.*

Syrian
Treadi
Syria
tacere.

Absque labore nihil, Domiti, nihil absque labore:

Vox vetus & vera est, Absque labore nihil.

Ipsi cælicolæ vendunt sua cuncta labore,

Nec nisi callosis præmia dant manibus.

Pulchra quidē Virtus, sed Sole & puluere fusca est;

Sudatrix Diua est, otiaque alba fugit.

Otia tu sequeris, Domiti, piger; exue pigrum:

Quid pila', quid somnus, nuxque, trochusque
dabunt?

Tolle animum vilem, vili tellure iacentem;

Atque

Atque ut magna feras præmia , magna velis.
Quid quereris , non villa tibi quòd præmia den-
tur ?

Et nulla in totâ sit tua palma scholâ ?
Segnis ὄνος donec fueris, ne præmia speres:
Aspira, veniet mox tibi pulcher Honos.

Frons sape fallit.

Nulla fides fronti est: vultu hic Plato, mente Cho-
rœbus;
Ille est Thersites corpore, mente Plato.

Pura hic voluptas nulla est.
Ad Gasparem Pantagathum.

Iuncta rosis spina est ; nec solis, Gaspar, in hortis,
In pictis etiam purpureisque thoris,
In Cleopatraeis epulis, mensisque, iocisque,
In lusu, in choreis, iungitur illa rosis.

VERGO-MATER Puer IESV pomum offert.

Mustea cùm tua sint, Virgo, cùm dulcia poma,
Cur illa dulcis rapere cessat IESV LVS?

An Pomi fatalis, & illætabilis Eux
Meminit : quod, cheu, prima depauit Parens.

Scilicet hoc canâ retractat mente Puellus,
Intusque tacitâ cor perurit lacrymâ.

Hinc tua, Christine, quamvis felicia poma,
Indoque succo, & melle plena Hymettio,

Frigidus aspectat, dextram neque Pusio tendit
(Iocosa contrâ quam solet puertia)

Quin & sœutiâ dulci, rugâque decorâ
Contristat osculum, ac ocellos asperat;

Quod

Quod placeat, Virgo, si vis offerre Puello,
Si vis quod illico rapiat, offer Crucem.

De literâ Θ.

Infelix multis Theta est, mihi litera felix;
Si ΘΑΝΑΤΟΝ scribit, scribit & illa ΘΕΩΝ.

FRANCISCVS BORGIA è Duce Gandia
Soc. IESV Propositus Generalis III.

Gandiacos apices, trabeam, rutilamque tiaram
Pro Christo posui, nec posuisse piget.
Omnia contemsi, querens cælestia : fallor,
Nil ego contemsi ; cuncta caduca Nihil.

*Herodes infanticida, in tabula
furens depictus.*

Cerne, hospes, rabidum Herodem, sed lumine
cassum;
Cur? arsisset ab his ipsa tabella oculis.

Poëta ad Musam suam.

Serpere te Momi dicunt, nimirumque iacere,
Increpat & soccos ille vel ille tuos:
Ne tamen hoc teneras vrat tibi, Musa, medullas;
Serpunt & violæ, & dulcia fraga iacent.

*Ad Posthumum, blanda, sed pestilentis
lingua hereticum.*

Dulcia sunt, sed plena dolo tua, Posthume, verba;
Vnde piis à te, perfide, multa fuga est.
Nec tamen, heu, nemo est, quiē blando decipis ore,
Quémque columbinis illaq ueas oculis.

Nam

Nam dum blandiris, sic vulpinaris, vt atrum
Fel sub melle bibant, qui tua verba bibunt.

¶ latronē animum! quò perdas, Posthume, plures,
Aurea furca tua est, byssinus est laqueus.

In Fortunam.

Siccine in humanis ludis, Sors perfida, rebus;
Et sanctā bellum cum ratione geris?
Diues, prolis eget, Proculus Dux; pignora Lauso
Ter tria sunt; prolis non eget, æris eget.
Vertere cæca Tyche, da cui rapis, & rape cui das;
Lauso aliquid Proculi, Lausi aliquid Proculo.

Ad Morantium omnibus omnia annuentem.

Rem mihi te grata m credis præstare, Moranti,
Quòd nutus sequeris, verbaque nostra, tuis.
Fallere; res nimirū putet, nimirūq. molesta est,
Omnia conueniant quòd tua dicta meis.
Eia, aliquando nega, dic contrà aliquādo Moranti,
Ne quis, cùm loquimur, nos neget esse duos.

Agrippina, Nero.

Pocula sæpe sui bibt Agrippina Neronis,
Tutò nec ipsis ebibenda viperis:
Sed do sto liquidam vicit medicamine pestem,
Succoque pota læsa non est Colchico.
At scelus, vt pestem toties sine peste bibisse
Videt Parentem; vina commutans aquis,
Perdere sperat aquis, nequiiit quam perdere vino:
Ad vitreas venire Baias imperat,
Fallaci tædā, mentituraque carinā;
Sed naufragam sorbere Pontus noluit,

Iunani-

Innante[m]que rati securæ tradidit Actæ.

Quid tum tyrannus? rugiit leo Nero,
Icitò lictor, & hoc ferro mihi percutere matrem.

O flenda mors Simonidaeis lacrymis!
Flere tamen nequeo: cur tam mihi cornea fibra,
Quæreris? recordor illius, Modò imperet.

Ad B. Magdalena[m].

Angelis quando veheris pia Magdala pennis,
Et cæli toties isque redis que vias;
Magdala, felicem quis te neget? at mage felix
Magdala, quando isti non redditura, semel.

De eadem.

Quaque die, terrâ ex humili sublimis in altos
Vecta ter & quater es Magdala dia polos:
Viua iter ætherium toties quæ carperat antè,
Quam bene defuncta haec norat ad Astra viâ!

Inferi.

Multi de Inferno, Stygiaque palude iocantur;
Sed vereor, fiat ne iocus iste, focus.

Votum pro N. Iurisconsulto.

O qui iura mari & magnum das iura per orbem,
Dasque poli facibus dasque Acheruntis aquis!
Das muto pecori, miseriisque nepotibus Euæ,
Et latratori per tria colla cani.

O Deus! Astræam nisi nostra in pectora mittis,
Quæ monstræt radio fasque nefasque suo;
Erramus, piceâ velut in ealigine noctis,
Nec premimus mediam qua decet ire viam:

Hanc

Hanc tibi , vir Magne , ex imis precor usque
medullis,

Quæ te vna, ut desint cuncta, beare potest ;
Divitiae, tituli, ventosa scientia, fama,
Fasces, & trabeæ, & cetera cuncta, nuces.

N. Iuris lauream adepro.

Aequoreis quisquis diu tempestatibus actus
Marmoris vndosi triste cucurrit iter ;
Cum iam portum oculis tenet, & terram anchora
mordet,

O ! quoties & io cantat, & audit io !
Tum rauco ære tubæ festum dat nauita signum,
Concháque si quæ sit Martia, nulla tacet.
O vastum mare, Ius ! qui per tua cœrula currunt,
Coguntur oculis quanta pericla pati !
Sirenum hic scopuli, truculentaque saxa Malææ,
Scyllæique canes, & maris omne pecus.
Quantum ô vidisse hæc, & non perisse, saluti est !
Nil mihi gratari, nî licet ista, libet.

In stupidum..

Doctus eris numquam , poteris sed doctus haberi:
Vis dicam fiet quâ ratione ? tace.

*In libros R. P. Ribadeneira contra
Machiaullum.*

Tartareis dura fortè natans caput exserit vndis,
Potator Stygiæ Machiauillus aquæ,
Te Petre audiuit docto multa ore sonantem,
Dictantemque unum qui regit astra Deum:
Credidit, at mœsto tollens suspiria corde,

Nec

Nec profecturis ora rigans lacrymis;
Me miserum! dixit, doctissime Ribadeneira,
Quod mea non tulerint tempora te, aut tua me.

Mortis Genus, & Iconismus.

Feminei generis cum sit Mors; illa virili
Ore tamen pingi, Zeuxidis arte, solet.
Femina debuerat pingi; cur femina non sit,
Hæc est ingenio caussa reperta meo:
Mors nigra, mors turpis, mors lurida; femina nul-
la est
Quæ nigra, quæ turpis, luridaque esse velit.

In Masium inuidum.

Non ulli vitio locus in te, pallide Mæui, est;
Nam quantus, quantus, quantus es, Inuidia es.

*In Aprum Cretensem, eumdemque
mendacissimum.*

Vngibus à teneris, primaque à veste genarum
Mentiri didicit, Cretibus ortus, Aper.
Succreuere doli barbâ crescente; bisulca
Quæ fuerat puer, lingua trisulca viro est.

* Engonasi credas illum sub sidere natum,
Tam rara infido promitur ore fides.

Sed tamen hoc mirum est; cum non vult fallere,
fallit;

Non fallit, cunctos fallere quando volet:
Nam cum mentitur, loquiturque Sinonia verba,
Mille vocans testes in sua dicta Ioues,
Non fallit; nil veri isto speramus ab ore;
Fallit, cum veri vel duo verba refert.

* Sign
Hercu
lis.

Roffo

Rosso diuiti anaro Strena.

Ductrices anni Iani micuere Calendæ,

Non insperatae quæ tibi, Rosse, micant:

Tempus adest, tibi quo miseri tandem amici,

Et poscis notas annua dona manus,

Cum sit Partha domus, Tyrioque superbiat ostro,

Clausaque Mygdonias arca flagellet opes.

*Diale.
gus.* I puer, ad vatem. Lunâ currente bicorni ?
Curre, suis currat luna bicornis equis.

Impulit ille forē. Nam quis tam manè? Ego Rosso

A pedibus, vestros munera posco lares.

Nónne tibi? Domino dixit. Tam manè fatigat?

An nunc est Codrus, qui modò Crœsus erat?

Non reor; at nimium pulchro iecur vrit in auro,

Et fuluo miserum pectus amore terit.

Dic sodes, Rosso quæ mensa? Neronia. Quæ nor?

In pluinâ ponit versicolore caput.

Fors desunt gémæ? Gemmâ bibit: Aurea læna est?

Aurea, bisque Tyro lota, bis amne Tago.

Nilne igitur defit Domino? Nil Hercule. Rosse,

Quid mittam? defit Nil tibi, mitto nihil:

Ad Lycean virginem admodum credulam.

Papa obiit, viuit: viuit Rex Sarmata, vixit:

Luna fugit Persam; fabula, Persa fugit.

Non tetigit, tetigit portum Perüana carina:

Auro mersa suo est; fabula, salua natat.

Vicit Iber Battauum, vicit Battauus Iberum:

Pax Aquilæ est; non est, Turcica signa canunt:

Mille Logos alios, quos spargit Fama per vibes,

Et tacitos populo non finit ire dies,

Cuncta

Cuncta Lyce credis; variat tibi pectus in horas,
 Alternantque animo spesque metusque tuo.
 Prospera Fama venit? mox purior aethere frons es;
 Mœsta venit? frons est non sine nube tibi.
Quid dicam, virgo? cum te sic auribus omnes
 Circumagant homines, Amphora pulchra
 Lyce es.

A sellus Christifer. Lucæ xix. cap.

Auritâ & turpi, fateor, sum matre creatus,
 Et stirps Arcadici non generosa viri:
 Sed Dominum tulimus, Solymam cum scandet;
 vnde
 Noscimur, & famâ vincit asellus equos.
 Famâ cedit equus Phrygius mihi, Bucephalûsque,
 Cumque Eoo, Aethon, cū Pyroënte, Phlegon.

Thus.

Sæpe rotaturum de nigro fulmina celo
 Placo Deum, orbicremam sustineoq; manum.
 Qui possim id, quæreris? dicam: sunt fumea thura;
 Fumo terrigenûm crimina celo meo.

MAGDALENA sub Cruce.

MAGDALA sub Cruce flens, dic Pictor, cur tegit
 ora?
 Dum tegitur, melius pingitur iste dolor.

*Ad Laurum: Quid animo quietem,
 quid amicos pariat.*

Vnde pax mihi tanta, Laure, quæreris?
 Vnde hoc in pelago tumultuofo,

Tam

Tam molli, placido, fauente, læto,
 Decurrit mea nauicella cursu,
 Nullo turbine, fluctibusque nullis;
 Vnde pax mihi tanta, Laure, quæris?
 Disce, quod didici, lubens docebo.
 Ex quo multa fero, querorique pauca;
 Ex quo pauca loquor, premoque multa;
 Quæque nigra videntur, alba credo;
 Quæque nigra feruntur, alba dico;
 Nec hostes numerare, Laure, possum;
 Nec charos numerare, Laure, possum.

Qualis ducenda uxor, ad eumdem.

Aiunt marita te subire vincula,
 Dilecte Laure; vertat, ô vertat bene!
 Bene cadat alea! sit tibi carcer leuis!
 Sed obsequentem, nec grauis supercilii,
 Et virginem, suaque gaudentem colo,
 Suoque tantum, Laure, notam limini
 Memento capere; compedium leuissimam.
 At nolo doctam, nolo doctam feminam;
 Turbas datura est docta, se virum geret:
 *Pallas Cælo vnica est, & vnica hæc * hastam gerit.

In Philosophastrum.

Per ignota mihi probare nota,
 Per incerta soles probare certa;
 Bene est, ô Sophe: prodeamus oro
 Cùm dies caler, & serena cæli
 Flammans mœnia Cynthius pererrat;
 Ostendam tibi Cynthium lucernâ.

In

In euendem.

Certa probas dubiis, fuscis clarissima, nota
 Ignotis, dici vis tamen vsque Sophus:
 Morio ego dicar, pueris sim fabula; Solem
 Si monstret medio nostra lucerna die.

In Publij Virgilij Georgica.

Dum canis Agricolûm, Publi, squallentia regna,
 Sarculaque, & falces, vñcaque rastra sonas,
 Aureus in ferro es, nec ponis rure cothurnum,
 Semper Patricia est, pictaque lingua tibi;
 O dium os Publi! sed dic mihi, maxime vatum,
 Si sic arua canis, qualiter arma canes?

*D. Richardo Burgo Hiberno, genere, bello,
 doctrinâ claro.*

Et bello, & studiis clares, Richarde; tuisque
 In manibus mutant hasta liberque vices.
 Bellacem, & doctum, quod non te Pallade natum
 Credimus, hæc causa est vñica, Virgo Dea est.

C A L V I N V S,

Anagramma,

L V C I A N V S.

Quod nomen vnum possident
 Caluinus impiissimus,
 Et Lucianus impius,
 Germanitate criminum
 Id esse factum credite.
 Et hic, & ille apostata,

D

Chri-

Christique desertor gregis;
 Vterque risor Numinis;
 Vncis vterque naribus,
 Styloque lusit improbo;
 Vterque nigris moribus,
 Vitâ sues, linguâ canes.
 Et Lucianum denique
 Canes vorarunt efferi:
 Caluinus at (Satanico
 O digna mors Apostolo!)
 Voratur à fœdissimis
 Pedi- (quid impedis pudor?
 Sine, vindicem Deum loquar)
 Voratur à pediculis.

Heretici ut parentes colant.

Scis ut hæretici colant parentes?
 Scindunt vomere sancta templa, sulcant
 Cœmeteria: sic colunt parentes.

C A R O L O V . I m p e r a t o r i , & P A U L O III .
Maxime dicto.

Austriade Princeps, numeros qui Principis omnes
 Implesti factis, C A R O L E diue, tuis:
Qui manibus miles, pedibus Dux, pectore Cōsul,
 Et tantum exemplis Induperator eras:
Pacificus Salomon, cùm buccina rauca taceret;
 Cùm fremeret, viētor, bellipotensque David.
Sunt Libycæ Lunæ, sunt Gallica Lilia testes,
 Armaque Saxonij sub pede plausa Ducis;
Tum stolidæ sectæ nigri tonsique Mariti,
 Armauere tuas, Dux Alemanne, manus;

Et

Et verum Alciden Alemannica repperit hydra,
Vstatuo ferro, CAROLE, secta tuo.
Audiit hæc PAVLVS, macte inquit CAROLE,
macte,
Esse nequis Magnus, Maximus, inquit, eris.

*Ad B. STANESLAVM Coscam,
Societatis IESV.*

Angèle mi, Angèle mi, dulcissime mi Angèle
salue:

Nam te cur aliter STANESILAE vocem?
Nempe tibi pectus torrebat Seraphicarum
Flumen flamarum, Cherubicusque calor:
Et quanti, & quales fuerint tibi pectoris ignes,
Infusæ toties testificantur aquæ.
Nam quoties ad cæli arcum tua brachia tendens,
Poscebas lacrymis suppliciisque Deum,
Protinus ora rubere, & lumina scintillare,
Corda nicare, pio rore madere genæ:
O quæ fax, quæ flamma intus, quæ incendia! certè
Intus Dardana fax, totaque flamma Phrygum:
Quin Phrygiis flammis maior tua, maior ut au-
ctor;
Nam Troiam vssit homo, sed tua corda DEVS.

Discincti Nepotis Prostropœia.

Quid me beatius annifer Titan videt,
Quacumque rutilâ verberat terram face?
Nec illigatum est tristibus curis caput,
Nec sparsa canâ sunt pruinâ tempora;
Adhuc aquosus exulat venis hydrops,
Nec hunc vel illum aut hanc vel illam dissecat

D 2 Laten-

Latento serrâ Naxij morbus Dei.
 Me tamen amystidas grauésque canthares
 Nemo Falerni fortior ducere meri;
 Nam sunt perenni quassa vino tempora,
 Et verna numquam deserit caput rosa:
Auro cubamus, & sedemus, & edimus,
 Bibitque nostra ex Indicâ gemmâ sitis.
 Viue Epulo, viue; breuia carpe gaudia.
Iam Martialibus intonabitur tubis,
 Et ære læto tota contremet domus:
Iam Dindymenes insonabunt tibiæ,
 Lætoque buxo tota perstrepit domus:
 Calamis canetur, & cicutis Aepoli,
 Mopsique cannis, Tityrique fistulis,
 Raucisque nemoriuagæ Dianæ cornibus,
 Pelusiæque garrulis sistris Deæ:
 Lituis canetur, & sonoris nabliis,
 Corybantiis, Berecynthiisque cymbalis,
 Berecynthiis, Corybantiisque buccinis,
 Citharisque Lesbiis, lyrisque Teïis:
Sonet omne plectrum, & omne barbitum sonet;
Sonet omne barbitum, & omne tympanum sonet;
 Chorisque, quanta est, tota contremat domus,
 Thyassisque, quanta est, plausa subsultet domus.
 Viue Epulo, viue; breuia carpe gaudia.
 Vos festa, socij, verba mecum spargite,
 Et spineas roseo lauite curas mero.
 Si risit vlli, risit à primis mihi
 Fortuna cunis, & Sororibus dedit
 Vitæ trahenda stamina ex auro meæ.
 Troiane Porce, lurco, venter non homo,
 Nepos Apicæ, purpurea simie,

Sine

Sine mente felix; cur, Epulo, cur sic tumes?
 Ut auream, densaque barbatam colum
 Tardante dextrâ depleat Lachesis tibi;
 Sunt fila tamen, ô stulte, quæ Diuæ trahunt,
 Sunt fila, non Cytoriæ aut Phrygiæ trabes,
 Pilæve Tænari, aut Carysti marmora,
 Non saxa, non sunt æra: fila, fila sunt.

Moses in Tabulâ.

Legiferum in tabulâ Mosem Iudæus habebat:
 Emturit hanc Paulus: *Quid dare, Malche,*
iubes?
 Pende quaterdenos. Non pendam perfide; non sic
 Mens hebet, ut seruum pluris emam Domino:
 Terdenis olim C H R I S T V S stetit imp'e; tu pro
 Mose, quaterdenos me dare Verpe iubes?

Philippi Rubenij Antuerpianis
viri doctissimi Epitaphium.

Hic est Rubenî, quidquid ex humo venit,
 Homo sub humo, suaque terra sub terrâ:
 At alta mens, solique celsa contemtrix,
 Virtusque rara, & Eruditio rara,
 Romana penna, Tullij æmulus sermo,
 Propertiano párque pectini pecten,
 Et magna, meritis sed tamen minor, Fama;
 Ille, ille denique, ille Rubenius verus,
 Non cespite hoc, brutoque clauditur saxe.
 Per ille Graia fertur, atque Romana,
 Per ora Ibera, Galla, pérque Germana,
 Antuerpianis & geretur in labris,
 Antuerpianis & legetur in libris,
 Dum stabit Vrbs, dum corniger fluet Scaldie.

D 3

Nunc

Nunc hoc habete carmen, & domum ferte:
Rubenius h̄ic est, h̄ic Rubenius non est.

In Damnam bibacem.

Acre grauis Damna est, (alieno sed grauis ære)
Et genitus claro (sed sine lege) toro;
Potor aquæ, (sed vitigenæ;) sic ut modò Damnam
Omnis, Doliolum, piæta taberna vocet.
Absumisit vino gemmas sex; gratus Iacchus
Sex naso gemmas reddidit ecce nouas.

De duobus Poëtis.

Tusci Daphnidis, Albij Britanni
Sic sunt carmina: repperire menda
In illo, mihi crede, nulla possis;
In hoc, querere menda nulla possis.

Ad Angerianum leuiculum.

Vlque mihi comes es; per me licet Angerianus
Verum si nostro vis lateri esse latus,
Adde salein verbis, salibus parcè vtere, voci
Pone modum, & pondus moribus adde tuis.
Nec volo te, nec nolo: hoc tantum: mihi comes ille
Qui leuis est, grauis est; qui grauis est, leuis est.

Pecunia.

Cur cruce signetur rixosa pecunia, sat nos
Vita docet; multas dant misera æra cruces.

In Medicastrum quemdam Dindymum.

Omnibus in morbis offers te, Dindyme, nobis
Hippocratem, nos te malumus Harpocratem.

Latis

*Latis dura, duris lata miscentur,
ad Ponticum.*

Semper inest latis quiddam, mi Pontice, fellis;
In duris quiddam, quod iuuat, esse solet.
Cerne rosas Paphias, iuncta omnibus horrida spi-
na est,
Omnibus at spinis non sua iuncta rosa est.
Sed melior Deus est Naturâ, Pontice; cunctis
Namque animi spinis addidit ille rosam.
Seu duris igitur, seu latis vtere rebus,
Spinis mixta rosa est, spinâque mixta rosis.

In Ancum seniculum nequissimum.

Omnia longa odi: breuis Ance es, te tamen odi;
Ance Sulfannæis improbior senibus.
Qui culpas uno tot alis sub pectore, Lethe
Quot sub sulphureis flammæa voluit aquis.
Tu calicum remex, tu nauita symposiorum,
De Damali palmam, Pantolabóque bibis.
Tu nostri Natta es, Catilina, & Clodius æui;
Et Caci tibi sunt, Autolycique manus.
Heu quæ monstra facis? quæ te torquata flagellat
Anguibus Alesto? quæ Dea noctis agit?
O odio bene digne meo, breuis Ance; sed ut sis
Dignior, an citòfur, in cruce longus eris?

De Plauto.

Metra habet, & numeros, Faustino iudice, Plautus;
Iudice Messallâ, nec metra, nec numeros.
Dum sibi sic pugnant, & linguæ in iurgia surgunt,
Soccipedémq; Vnabrum culpat hic, ille probat:

Ipse rogor, quod dem punctum, Cressumne, ni-
grumne;

Num pede vincitus eat, num pede liber eat?
Tollo manus, Phæbóque, ô, da mihi scribere,
dixi,

Non numeris numeris, Plauti, ametrisque ma-
tris!

*In Othonem, preposterè ientare
& cœnare solitum.*

Manè vorat pullos, vix ouo vespere cœnat:

Manè ergo cœnat, vespere ientat Otho.

Platone docente ridere vetitum.

Argolicis quoties, vel cœcta sophismata soluens.

Vel vera rimans Plato tonabat pulpitis;
Lex erat, atque omni laudari pollice digna,

Arctissimis habere risum in vinculis.

Paremus, diuine Plato, risumque tenemus,

Oriqué fræna, luposque duros ponimus:

Et, dum vera feres, aut quæ contermina vero,

Silebimus, silebimus, silebimus:

At si Animal nos definis implume, bipesque,

Ridebimus, ridebimus, ridebimus.

Quid Poëta.

Non infaceto Ludio nuper ioco

Risit Poëtas; dicere pudet, sed lubet.

Cum se rogasset, ipse respondit sibi:

Quidnam Poëta est? Res, Poëta, heteroclita est,

Tum maximè sapit, furit cum maxime.

In

In Barossem nobilem, indoctum.

Non Alpha nouit, non Iota Barossa,
 Nec nescit hoc nescire ciuium nullos;
 Tamen ille purpuratus atque torquatus
 In sigmate omni, circuloque, mensaque,
 Barossianum stemma iactat antiquum,
 Gentemque magnam! stulte quin taces? nulla
 est
 Antiquior, maiorque, gente stultorum.



D 3 B E R -

BERNARDI BAVHVSII
 ANTVERPIANI
 è Societate Iesu
 EPIGRAMMATVM
 LIBER IV.

Aspirat ad caelestem patriam.

SIDEREI colles, Diuūm fulgentia templis,
 Aurēaque innumerā tecta corusca face,
 Elysium æterni Veris, Maiisque perennis,
 Lilia quod pingunt perpetuaeque rosæ,
O, ego te quando! quando mea patria cernam?
 Et tua ter felix aurea scamna premam!
Hic ubi mel sine felle, omni sine nube voluptas,
 Hic ubi nocte dies, vitaque morte caret.
Nos valle hac lacrymarum, hac in lacrymarū valle
 Heu miseri, quantis mergimur vsque malis!
Prælia, paupertas, hæc nostræ præmia vita,
 Cura, labor, morbi, denique triste mori!
Portio nulla boni datur hic mortalibus ægris,
 Caelitibus regnis portio nulla mali.
Non igitur voueam te dulcis patriæ certè
 Tempora lucis eant, tempora noctis eant,
De penitis vnam te suspirabo medullis,
 Viuetur bipolo donec in orbe mihi.
E amor! ô desiderium! mea fax! meus ignis!
 Cur me sic vis? cur? quia tam procul es.

Cur

Cur C HRISTVS M ARIAE, M ARIA C HRISTO
ut plurimum iungatur.

Ut tormenta suis appingunt singula Diuis,
 P AVLO ensem, S TEPHANO saxa, crucemque
 P ETRO,
 A MOSIDAE vati serram, clauamque I ACOSO,
 HIPPOLYT O stimulos, E VSTATHIQ. bouē,
 I manes T ROPHIMO boias, lora horrida
 T HYRSO,
 B LANDINA E taurum, C OSTIADIQVE rotam,
 A ctusæum F IDEIQVE, S PEIQVE, A GAPAEQVE
 caminum,
 Armenianas T HECLAE tigridas, atque leas;
 Purpureis hæc ut suerunt appingere Diuis,
 Symbola martyrij certa cuique sui:
 Sic cum Bethlemio mater Nasareia nato
 Cum M ARIA semper pingitur ille suā.
 Non procule est C HRISTVS (circumspic) si pro-
 pe V IRGO est;
 Non procul est V IRGO, si propè C HRISTVS
 adest.
 Utq; P ETRO sua trabs, P AVLO suus hæret ut ensis,
 Sic M ARIAE I ESVS: ille suæ, illa suo.
 Cur ita? martyr erat C HRISTVS, martyrque
 M ARIA,
 Quisque & martyrij mutua caussa fuit.
 Martyrium M ARIAE pendens fuit in cruce
 C HRISTVS,
 Martyrium C HRISTI sub cruce M ATER erat.

*Quām peccata omnia, caudata
in primis, vitanda sint.*

Vt raua mater Romuli,

Remique spurca nutrix,

Timetur imbelli gregi,

Pavidō gregi balantūm;

Vt mille cinctum mortibus

Caphareum horret nauta,

Nymphaque semicanis procul

Latrantia fugit saxa:

Sic, Christiani, sic decet

Nos omne crimen fugere.

Fugiamus illud Pegasis,

Fugiamus & quadrigis;

Fugiamus illud palmulis,

Fugiamus atque velis.

Caudata sed præ reliquis

Peccata deuitentur.

Caudata sunt, ne nescias,

Post sc, perfecta, semper

Quæ noxiā caudam trahunt,

Detractio, Iniustitia.

Quæ cauda? RESTITUTIO.

Mendicus.

De D e o loquor libenter, non libenter audio.

*Ad Philœnum, & Hydrophilum, vinosum
alterum, alterum aqua potorem.*

Grata Philœne tibi Septembri plena liquore

Pocula; at Hydrophilus ponit in amne sitim.

Guttura pugnatis; pugnat quoque forma colore,

Vnāque frons ver est, altera tristis hyems.

Hydro-

Hydrophilo roseæ pinguntur sanguine malæ,
Alba Philcene tuâ sub cute turget aqua.
Agnoſco Nemefin : Bacchi tibi ſanguis in vndam,
Hydrophilo in roſeum vertitur vnda merum.

*Puer I s v s nudus, ſpinis coronatus,
crucem baiulans.*

Vrit ſaxa pedes, humeros miſerabile lignum,
Vrit & heu, tenerum ſpina cruenta caput;
Vrit moēſta fames, vrit ſit is ægra, ſalutis
Vrit nae niſiām feruida cura tuæ.
Quid mirum, tantis vror quando vndiq. flammis,
Si Boreæ temnens frigora nudus eo?

In Senatum ituri, affectus pro curiā ponunte.

Vnum triplēque Roma quod Numen colit,
Vnum triplēque Numen hoc pius colo,
Sanctissimum, purissimum, caſtissimum;
Adulterum, omniprocūmque deteſtor Iouem,
Saturnium execrō, eiero Tarpeium,
Totūmque deſpuo; Curiæ tamen velim
Stare ante ianuam, Iouem Positorium.

M I C H A E L. L V C I F E R.

Esto humilis, qui ſidereas viſ ſcandere ſedes;
Fastus Tænarij Ditis ad antra trahit.
Hoc probat aſtriferā M I C H A E L qui māſit in aulā,
Hoc monet æthereā lapsus ab arce Draco.

*De cuiuſdam inuenuto & longo carmine,
cui nomen Elephas.*

Inter Apollineos oþrans ſibi nomen olores,
Theſſalicāque ardens cingere fronde caput,

Anguimanum quidam laudauit carmine barrum,
Et lucæ cecinit millia dena boui.

Tam magnū Smintheus elephante risit, & omnis
Musa, puelliferi turba nouena iugi.

Mnemosyne contrà ; Res, inquit, digna cachinno
est :

De barro bardus, de boue bos cecinit.

Sed quem vos magnum ridetis, video paruum;
Maior Minciadæ est hoc elephante Culex.

De Z. litterâ.

O Zeta felix! ô beata littera!

Quae dulce, croceum, mite, floreum, vernum,
Blandumque Zephyri blanda nomen inchoas,
Sed nec beata es tota, tota nec felix;

Nam triste, & horridum, & pice nigrius nigra,
Fimoque olentium olentius capellarum,

Etiam sclesti, Zeta, scribis Zoili

Misella nomen: mitte Zeta, vah, mitte

Ferale nomen : quid tibi cum Zoilo?

Nam voce in istâ, littera innocens nulla est;

Tu nomen orbis optimum, tu pessimum

Eadem figures? non feremus hoc vates;

Numquam feremus. Sit supremum hoc: Zoilum

Aut mitte Zeta, aut te vocabimus Theta.

De Echoe.

Quae Satyriscorum, quæ capripedum Faunorum,

Mænaliisque amor est garrula Nympha Dei,

Non mihi Nympha placet; fastosa, & tetrica virgo est,

Et subsaunatrix, mima, proterua, loquaç.

Iussa prior fari, numquam prior ipsa loquetur;

Vt

Vt tibi responset, plus satis oris habet.
 Si saluere iubes, ridet male gratia salutem:
 Pro salute tibi vox, vox inimica redit.
 Læsa salutabit; quis credat? dira minare,
 Dic, Fera Nympha caue, tum tibi dicet Aue.

*De egregiâ Brugensem puerorum
 infantiumq; pietate.*

*Ad Ren^{mum} Carol. Pbil. Rodouanium.
 Brugana Vrbis Episcopum.*

Brugæ veteræ Protomysta nobilis,
 Carole Philippe Rodouanidum decus,
 Mirare mecum pulsiones Brugicos,
 Adeoque plenos mentis intellectulos
 Primis in annis. ecce qui certo pede
 Signare nondum lubricam sciunt humum,
 Non ore totum fabricare verbulum,
 Infante bucculâ in Dei laudes meant:
 Et Vni-trinum Fulminatorem sonant,
 Fabrumque cæli IESON, & terris fabrum,
 Puerperamque VIRGINEM, & sursum piis
 Secreta templa, & suppedaneas domos;
 Sine carne Mauros, & cygneos Angelos;
 Niueumque Fas, & criminis nigrum Nefas.

Hæc cuncta, quæ vel sæpe nescit ultima,
 Hic prima vira nouit; hæc quadrimuli,
 Hæc trimulique, bimulique cantitant.
 Crede Rodouane Carole, & credis, scio;
 Nusquam Leonis Belgici per oppida,
 Bullata, lactens, tenera, plus ætas sapit.
 Sapuere quondam serius viri Phryges,
 Hic nec puelli scribo, Carole, sapiunt.

Do

De Cordula virginie ieiuniis apprimè deditâ.

Pascha erat, & ternas exegerat ordine luces

Cordula, non vlo pasta puella cibo;

Dum tandem lacrymis, & questu victa suorum,

Puris cum puro furfure prandit aquis;

Femineoque mares animos in corpore gestans,

Nec se furfuribus nec satiauit aquis.

Quid facis, ô Virgo? bibe dulcia, crustula sume,

Et benè fac genio dura puella tuo.

Dulcior, illa inquit, sitis hæc mihi flore Lyæi est;

Libo Mopsopio dulcior ista fames;

Dulcior est I e s v s, pro quo ieiunia fetuo,

Nec soluam, veniat dum mihi summa dies.

Siccine, mi I s s v, pro te tam dulce famere est?

Quàm dulcis cælo mensa futura tua est!

Temperantia.

Ite Galenia pharmaca,

Et pilulæ, & mala pocula:

Is bonus est medicus sibi,

Qui fuerit modicus cibi.

*De Poësi extemporaneâ.**Ad Lausum.*

Tres ego, sed tu trecentos

Lause versus fabricas,

Vnicâ, breuique luce;

Qualis hispidi Capri,

Pisciumve, vel madentis

Suevit esse Aquarij.

Curre, curre magne Yates,

Mc

Me iuuat lencum sequi:
Tarda quercus esse malo,
Quam repens cucurbita.

Ad Zoilum.

Carminibus speculum supponam, Zoile, nostris:
Saltem erit h̄ic aliquid, quod placeat; tibi tu.

Honor.

Vmbra Honor est; veterum sic vox est prisca So-
phorum:

Hoc omnis docuit barba severa Stoæ:
Hoc doctis sonuit Plato syluis: Est Honor vmbra;
Cùm fugis insequitur, cùm sequerisque fugit.
Quòd si Honor ipse vmbra est; quid Honoris spes
minus vmbra est.
Vmbram singe vmbra; spes id Honoris erit.

In rerum nouarum audiūm.

Num quæ mira habeam, num quæ noua, quæ tibi
narrem,

Visque rogas; stulta est hæc tibi in aure sitis.
Hæc mea mira, noua hæc mèa sunt, quæ narro li-
benter;
Factus Homo D̄vs est, factaq; VIRGO Parēs.

Plauti Scena Sofiana.

Ridere Phœbi cùm libet Sororibus,
Frontisque rugas soluere, oris ducere,
Et concuti salisubulis cachinnulis,
Plauti iocosi perlegunt & rellegunt,
Vnumque Sofias, duosque Sofiam.

In

In Medicos iocus.

Multa vetant Medici, sanæ ceu noxia vite;

Hunc piscem, has carnes, hæc fuge vina. Logi:
Dicunt, non faciunt; monitor bibit ac edit omnia;

Quæque aliis vetuit, non vetat ipse sibi.

Fercula nulla timeret, quæ dat mare, terra, vel aëris;

Bacchi vel Cereris pocula nulla timeret.

Sic, cùm non faciant Medici, quæ plurima dicunt,

Nónne Phariseos dicere iure licet?

*Matth.
c. 23.
Dicunt
enim,
& non
faciunt.*

*Vini usus dissuadetur,
aqua suadetur.*

Vitreo liquidi
Rore Acheloi,
Sobria socij
Labra rigate,
Albáque fluuiis
Pœcla bibantur;
Frangite rubri
Cymbia Bacchi.
Longumque vale
Luxuriosis
Dicite viuis:
Sint satis vndeæ.
Iam tibi Chiâ
Dulcius vuâ
Argentipedes
Sapient fontes;
Cæcuba sapient
Glaucæ liquidi
Lymphæ Rheni,

Tremu-

Tremulaeque Moſæ
Properantis aquæ:
Si modò I e s v
Sis discipulus;
Nam Discipulis
Iam nunc olim,
Dulcis I e s v s,
Dulce in vinum
Mutauit aquas.

Ad Momum.

Quò, scelus, Aristarchea, quò Lycambæa
Fers arma Mome? sanguinarium Theta,
Obelumque tristem, spongiámque lethantem,
Cui minaris? méne? me petis Mome?
Absiste; frusta es; nil tyrannicæ limæ,
Istisque rugis naribùsque debemus.
Nil hic, miselle, quod ore corneo rodas,
Aut patruis quod seue verbigeres verbis;
Auriga mollis mollium columbarum.
Non hic mouetur, Cypridisque quam culpes
Hic solea nulla: incedimus cothurnati.

*C. Iulio Onos è Lipara, pennas
nido maiores extendentii.*

Segnior Arcadico cùm sis Liparæ caballo,
Perque pigrum corpus serpat tibi plumbea vena;
Et tua sit, pauidis quanta est audacia damis:
Tu tamen & ceras veteres, Romanaque iactas
Nomina, auósque tuos ad Iulia stemmata ducis.
Credimus; & cogit virtus tua, Romula certè;
Credimus, & diū de te cecinisse Maronem
Semper Onos, nomenq. tuum, laudésq. manebūt. *Eel.*
In

In Venatores Nannium & Polum.

Dexter Nannius est, Polus sinistus;
 Gaudet artibus hic & hic Dianæ,
 Gaudet lœuibus hic & hic sagittis,
 Gaudet figere & hic & ille ceruos,
 Et citi leporis fugam morari,
 Et damæ volucris tenere cursum,
 Aprum sternere, collocare taurum,
 Sed non arte pari: Poli sinistra
 Redit sanguine purpurata multo,
 Et cerui ex animâ bibit vel apri,
 Tinctâ rore, vel hoc, vel hoc, vel illo;
 Nanni dextra nec hoc, nec hoc, nec ille:
 Segnis dextera, nec ferire docta
 Imbellem leporémve, damulámve,
 Hianulúmve, cuniculúmve blandum,
 Aut si quid syluis iugisque in altis
 Viuit mitius ianocentiusque:
 Segnis dextera, nec ferire docta,
 Quamvis pulchra minetur: unde tota
 Hoe nunc Urbe volat, Polo sinistra
 Dextra est, dextera Nanno sinistra.

In Moscum mendicum.

Mosce quid æra petis? vili quid de stipe viuis?
 Alcidæ neruos, ossa Milonis habes.
 Vah pudeat! sum pauper, ait; mentire: supersunus
 En bini census, Dextera, Sinistra, tibi.

In amicos fluxa fidei.

Quis hos amicos dixerit,
 Quos serus idem diuidit,

Qui

Qui manè iunxerat dies?
 Quos efficit Vatinios
 Lana caprinæ quæstio?
 Fuge, Lector, hæc, si quid sapis,
 Fuge hæc amare pectora;
 Fuge hæc diaria corcula,
 Tam lubricâ & fluxâ fides;
 Fuge hos stœnailudios,
 Plumâque plumeos magis,
 Magisque vitro vitreos.
 Non hoc amare dixeris;
 Hoc est amare, hoc Pyladis est,
 Bis esse amicum nemini.

VIRGO Mater & Puer IESVS in Tabella.

Bethlemij Pueri, Nasarenæ Virginis ora
 Quæ doctè referat, parua tabella mihi est:
 Parua quidem, sed quam vel multis millibus
 æquo,
 Præquâ nec Phidise dædala signa velim.
 Ecce tibi D E v s hîc, & tantum non D E A , vir-
 go est;
 Sanctior an fingi hac vlla tabella potest?
 En MARIAM, Luna est; & verus Pusio Sol est:
 An dici terris clarior vlla potest?
 En Puerum, Rex est Cælestum Terrigenumque:
 Regina hæc: pingi maior an vlla potest?
 Vincit Virgo rosas, candardia lilia vultu
 Infans sidereus: pulchrior esse potest?
 Virginis in gremio niueæ, niue purior omni
 Ecce Puer recubat: castior esse potest?
 Nubibus ille tonans, hîc Nymphæ ludit in vlnis.
 Numen

Nu men Nympha regit : blandior esse potest
Ille mel, hæc lac est ; hic lac est, tota mel illa est :

O Superi ! fingi dulcior vlla potest ?
Ipfa Salus Mundi hic, simul hic Spes altera Mun-
di est :

Mortales ! pingi lætior vlla potest ?
O IESV, Ô V I R G O ! si nunc depicta tabellâ
Vestra parit facies gaudia tanta mihi ;
Quæ tanta dabit non in tabulâ ! quæ gaudia coram,
O felix coram gaudia quanta dabis !

S. CAROLI BORROMAEI effigies.

Dimidium pinxit quæ dextera BORROMAEVM;
Norat quòd totum pingere nemo potest.

In Martyrium P. Alphonsi à Castro
è Societate I E S V.

Alphonsum multâ violatum cuspidem ferri,
Quassum verberibus, vulneribusque grauem,
Deuoluunt rabidum in Pontum gens impia
Mauri ,

Iratum iaceret cùm sua colla mare.

Alphonsum ut sensit Pontus, sua colla remisit
Cærula, & erectæ mox iacuere iubæ.

Quin etiam multo cingentes lumine corpus
Dorides, æquoreum littus ad usque ferunt.

At vos, ô scelera ! & ô nil nisi crimina, Mauri !
Vindex non claudio est pœna secuta pede.

Quæ pœna ignis. io bene ! vos glacialibus vndis,
Alphonsum : sed vos perdidit igne Deus.

*Ad R. P. Gisbertum Bauhusum F. S.
Carthusie Bruxellensis Priorem,
pro Patria salute.*

Lapsantem Patriam, iamq; in sua busta rumentem
Gisberete cernis, nec vetas?
Auxiliatricem dextram citò subde, priusquam
Trahat ruinam fleibilem.
Qui poteris, quæris? magnum quem conficis ore
Palmâque contrectas Deum,
Subde labascenti Patriæ, quia Belgia fulta
Atlante, labem non dabit.

In noctem quâ Christus captus est.

O nox tartareis quâ non est cæcior umbris!
O tenebræ! quales nec Stygis antra tegunt.
O nimium vecors, nimium tu Delia lenta es,
Quod Phœbum Phœbe es passa perire tuum.
Hæc nox illa fuit, quâ morti tradita vita est:
Hæc nox, quâ sensit vincula, capta salus.
Verū, ô! pœnarū hæc summa est, nō prima tuarū:
CHRISTE, in quâ es genitus, prima doloris
erat.

L O V A N I V M.

Anagramma.

V I N V M A L O.

Cerasa, nucēsque, pomáque,
Amygdalósque, prunáque,
Lapidosa corna, & mespyla,
Et quidquid est tragematum
Mensas secundas quod videt,

Conce-

Concedo totum Belgicæ:
Ego V I N V M A L O L O V A N I V M.

Ad Deiparam.

Ite ad sidereum properè, mea vota, MARIAM;
Nam miseris numquam non patet ille sinus.
Cur, petet, ad summum non sitis missa Tonantem;
Dicite, ab offenso vos timuisse Deo.
A manibus, sed, Virgo, tuis mala nulla timemus:
Impos enim irasci es, cetera cuncta potens.

*Ad Consaluum, pro Christi amore
fame consumptum.*

Dum rabida esuries hinc te vorat ore canino,
Hinc sitis, & cæli maximus vrit amor:
Téque coquit simul atra fames, simul ardor O-
lympi,
Dic Consalue, fame es mortuus, ánne fati?

Lamentatio Iobi.

1. Pereat, beatas inter exulans luceſ,
Quâ primus iſtos fluxit in oculos Phœbus!
Pereat, quietas inter inquies noctes,
Quâ ſemen ortus, & meæ paumentum
Vitæ locabat mater! inſciens mater,
Quantæ procellæ, fulminis, tonitriqué
Faceret alumnum! O perduelle cælorum,
Terræque caput! O hoſticum caput Diuſ
Viuiſque, ſuppedaneiſque Nigritis!
Lux illa ferro concolor ſenſcenti
Acherufianis fiat atrior portis:
Nox illa turbinis ebriefcat in gyris

Et

Et buccinantibus vuletur à ventis:
 Cæcas tumultuentur astra per Syrtis,
 Tenebrisque puluerem bibat luna:
 Nox illa fastis non notetur in chartis,
 Nec circulantis adiuuet rōm̄ mensis,
 Quia nascituro pessulum obdidit nullum
 Repagulumque facile præbuit vitæ.
 Vita, mea vita! vita, mea dolens vita!
 Cur non parentis in sinu cauernoso
 Necem bibisti, nectus antè quām natus?
 Vel cùm Diespitem ocellulis salutasti,
 Cur non salutasti, & simul valedixti?
 Cur curvifexa genua matris infedi?
 Et arcuatos poplites fatigavi?
 Cur me papillā appendit arduā nutrix?
 Cur non bibentem toxicō venenauit?
 Nunc nunc iacerem somniator in nigrā
 Pollinctus vrnā, nec meo rebellaret
 Fortuna capiti. Parcit ira defunctis.
 Non instat icta mordicans canis præda,
 Cordatus excors præterit leo corpus:
 Fortuna viuos allatrat, fugit truncos.
 Iam cum Sabææ regibus tiaratis,
 Et pileatis conquiescerem Parthis.!
 Et albidentes, cetera piceos, Mauros
 Scythasque niueos, fumidosque Bracmannes,
 Syrosque olentes exul inter errarem.
 Eò colonos omnis ora dimittit.
 Ibi omnis exul & simul sedet ciuis;
 Tyrreniis reus vagatur à vincis:
 Cubat Tyrannus mole succubus ferri.
 Ibi seruus herus est, & grauis herus est seruus:

E Ridet-

Riderque rusticus cilia togatorum;
 Et sub Gigantum ludit ora pygmæus.
 Ibi nullus ordo , at sempiternus est horror :
 Obliviosâ gens sepulta sub nocte,
 Nigroque decies denigatio Mauro.
Hei morere Iobe, morere , quid times Iobe?
 Cui dies crux est , cui quies crux est;
 Cui stare crux est, & sedere cui crux est;
 Cui crux tacere est , & cui loqui crux est.
 Cruces amici , aut fortè verius corui:
 Sed ipse tibi maxima miserrimo crux es.
Quis pro tot vnam crucibus abnuat mortem?
 Hei morere Iobe, morere , quid times Iobe?
Quotidie pati , quotidie mors est.
 Pati necesse est , non necesse viuendum est:
 Excitere vitam, vita non potest poenam.
 Seu te, quietifer alijs, tenet somnus,
 Sudator irruit & pauorifer Phanto :
Ad te Magæra cum Sororibus plena
 Insomniorum nocte deferunt plaustra.
 Hei morere Iobe, morere Iobe , quid viuis ?
 Cùm me famelica (quæ necessitas tarda est)
 Cogit refracto capere quidpiam labro,
 Lapidescit omne quidquid incidit linguae,
 Et ore quidquid masticatur in tristi:
 Pòst vbi scabrosas deuadatur ad fauces,
 Spinosus hæret sicut in rubo panis ;
 Luctatur ire , mox redire luctatur:
 Et cum medulliuorace coctus à luctu
 Conor palude aquare proximâ fauces,
 Mox lacrymoso temperantur à riuo,
 Pluitque salsus de meis genis imber.

Seu

Sei cùm à potenre sobrius timet vino,
 Fumosa pùrâ pocla clarigat lymphâ,
 Ne vina combibens bibatur à vino.
 Hei morere Iobe, quid mori times Iobe?
 Velut vnda decumos tuberatur in fluctus,
 Ventiq; follicantibus volant buccis,
 Imoq; sculpunt molle marmor à fundo,
 Mox nulla requies, sicut igne supposto
 Commurmurantes spuma crescit in spumas,
 Ratibusq; similes extruunt aquæ montes,
 Iaculantur astra, mox in ima subisdunt,
 Sic me perennis fluctibus quatit luctus,
 Superambulantq; & subterambulant curæ,
 Fanaticiq; Paniciq; terrores
 Semiustulatâ me sub æde suspendunt.
 Hei morere Iobe, morere Iobe, quid viuis?
 Fortè melius erit, esse non potest peius.
 Pati necesse est, non necesse viuendum est.
 Exuere vitam, vita non potest poenam.

Indoles bona & mala.

Mens bona, si quando recti de tramite flexit,
 Mox gemit, & lacrymat, sub lacrymisq; rubet:
 At mala mens, peccasse negans, alba obstinat ora;
 Huic dolus absq; dolore, huic dolor absq; dole.

Ad quemdam feliciter exulanten.

In patriâ te pauperies morbiq; prenibant,
 Nunc exul morbis pauperieq; cares:
 Corpus, & arca rubent; auro hæc, tu sanguine
 multis
 Exilium in patriâ est, patria in exilio.

De Fabris ferrariis, ad Milonem.

Non ridenda, Milo, tibi gens Vulcania, Fabri,
 Nigra quòd à multo est nocticolorque foco:
 Utulis ars Lemni est, & Paci, & commoda Bello;
 Belli quæ gladios, Pacis aratra facit.

In Castricu[m] de formâ suâ superbientem.

Stulte, quid à speculo fastus tibi sumis inanes?
 Arsacios vultus? Partha supercilia?
 Nempe quòd ambrosio tibi purpura vernet in ore,
 Et vincant Geticas laetæ colla niues,
 Et tua móntiuagæ possit certare Dianæ,
 Possit & aligerò forma decere Deo.
 Scilicet hæc animos, & pectora pauonina
 Dant tibi; iamque amens te velut alter amas.
 Narciso similis quem frigida torruit vnda,
 Fraus & imagineæ quem mala lusit aquæ:
 Sic te demoreris, proprio sic totus in ore es.
 Narcisoque idem te coquis igne tui.
 Nescis, heu nescis, quantilli flosculus æui,
 Quàm citò formoso cedat ab ore decor;
 Vitrea gemmula, fluxaq[ue]; bullula, cädida forma est,
 Nix, rosa, ros, ventus, fumus, & aura, nihil.
 Te npus erit, veniet cùm pallida buxus in ora,
 Et rosa de pictis defluet ista genis,
 Flammaque ab vranimis isthæc migrabit ocellis,
 Nec stabunt solitis pulchra coralla labris;
 Tum tibi cùm veniens formam populabitur ætas,
 Illa superfici ruga supercilij,
 Illi, illi vultus, fastigatiisque capilli,
 Cuncta cadent, heu Castrice, cuncta cadent.

Tunc

Tunc rhonchus, tunc risus eris, tunc sibilus vrbi,
 Et scopus extensis vnus eris digitis:
 Ille olim rosa vera, cinis nunc pallida; amorum
 Illa olim facies, nunc nisi ruga nihil.
 Hæc illi: tu tristis, & insolabilis ibis,
 Ad rigidos pressus pæne caput silices:
 Nullus in ore color, nisi liuor: pingere vultum
 Sola tibi poterunt dedecus atque pudor.

Aenigmatica questio ad Gambaram.

Oedipodem quæro; dic tu bone Gambara, quis sit
 Qui manibus, pedibus, non caret, atque caret?
 Vellitur, ut video, iam nunc tibi gausapa barba;
 Mordes labra, vngues rodis, & vsque taces?
 Nil opus est miseræ syluam te vellere barbae,
 Infestoque vngues perdere dente tuos.
 Dicam ego, sed Dauus; tu corrige, si sapis ultra,
 Oedipodionio magne vir ingenio.
 Qui manibus pedib[us]q[ue] caret, qui non caret, ille est
 Quem Chiragras & Podagras serra tyrana secat.
 Aspice scripturum, manibus caret: aspice iturum,
 Hei, nequit: ad mensam & pocula truncus adest:
 Sed quoties ferræ redeunt, quotiesq[ue]; dolendū est,
 Hei, misero neuter pesque manusque deest.

Bruga.

Millies felix, generosa Bruga!
 Necte iam claro capiti coronam,
 Omne pascentem decus, & pyropis
 Dulcè ridentem: nec enim vel alta
 Memphis, aut Didus, Cecropisve sedes
 Notior Brugâ est; date ferta, sceptrâ

Ferte Reginæ Cybelæa turba:
 Iam per Eoum, Borean, & Austrum
 Claret, & nota est super Herculanas
 Bruga columnas.
 Bruga sanctorum genitrix Catonum,
 Christiana Sparta, magistra morum,
 Docta, iusta, casta, benigna Bruga.
 Fascium cæli, metuēnsque Virgæ
 Consulis summi; cui præpes ala
 Fulminis dīri, tonitrūsque rāuci
 Magna vox seruit: tremis hunc, timēsque,
 Bruga, déque imis colis hunc amásque
 Pectoris venis. O amata cælis
 Natio! cunctis ô amata terris!
 Hic puer virum sapit, hic Platones
 Vagiunt cunis, simul & Marones.
 Tullios certè, Fabiósque claros
 Se foro præstant; dedit os rotundum
 Filius Maïæ, fluuiū inque linguae
 Aureis Brugæ pueris, simulque
 Ora de byssō, Siculóque melle:
 Nam mel, & byssum, & violas loquuntur,
 Et rosas, & lilia, cinnamumque.
 Nulla Xantippe hic, pluviæque rixæ,
 Nullus hic Chremes tonat, & Molossum
 Elatrat canem: procul ira: Pax, Pax.
 Nempe nil blandæ tenuere Brugæ
 Seminis Pyrrhæ, veteriſque saxi;
 Ingeni mitis, facilisque moris
 Ciuis, & terra est dominos secuta.
 Fertilis certè, nec amicta vanis
 Frondibus tellus: properant arata

Rura,

Rura, & optatum veniunt in aurum.

O Bruga, ô felix Bruga! tota virtus,

Et mel, & lac, deliciumque tota,

Pulchra, fortis, splendida, diues; vnum est,

Quo cares pulcherrima Bruga, rugâ.

Franconia Flandria Tetrarchia.

Franconia, ô Franconia,

Soror aurea aureæ Brugæ !

O vera Tempe Flandriæ,

O pulchra Veris filia !

Ridens, virens perenniter

Tot vitibus, tot syluulis,

Argenteisque fontibus,

Leui pedibusque riuulis,

Gibbosulisque collibus,

Bibaculisque vallibus.

Hic Flora certè rosicoma,

Spicicoma regnat hic Ceres ;

Hic pollici tenero nihil,

Falcique quod metat deest.

Franconia, ô Franconia!

Tuis columbis mitior,

Tuisque blandior cygnis.

Quid hoc, quid esse dixero

Quòd nil habes feri maris?

Nil illius, nil illius,

Nil illius feri maris,

Tibi quod ferocientibus,

Phreneticisque fluctibus,

Casantium pulsat latus.

Franconia, ô Franconia !



Tu verticigenæ Palladi,
 Pharetrigeroque Apollini,
 Tu ter tribus Sororibus
 Curuæ lyræ solertibus
 Quàm nobilem, laxam, hospitam,
 Quàm commodam præbes domum!
 Noua Phocis, & Boeotia,
 Noua Cyrrha facta frigidis
 Septemtrionis filiis.
 Franconia, ô Franconia!
 Sanctâ Fide spectabilis,
 Quam Septicollis vrbium vrbs,
 * PAVLVSQVE te noster docet,
 Et PETRVS in PAVLO docet:
 Tu Libræ, & aurei Modi,
 Iustique tam sanctè es tenax,
 Quàm prisca nec fuit Stoa,
 Securigera neque Tenedus,
 Nec pagus ipse Martius.

Sit finis iste denique,
 Sit meta, sint oua hæc tibi,
 Hæc quarta, summâque sit tuba
 Laudis tuæ Franconia;
 Si quando rursus cogitet
 Astræa terras linquere,
 Hic ultimum ponet pedem.

In Aulum, Soteria largius bibere solitum.

Vt valeant Reges, diadema tique Monarchæ.
 Sæpius, & plusquam sit satis, Aule, bibis:
 Vnde tibi sitiens nunc venit, & atidus hydrops;
 Hoc bibere est aliis, Aule, sitire sibi.

In

In Hermetem Rhetorem.

Balbus, & imberbis, vacuū & sine Pallade pectus,
 Orare iussus Rhetor Hermes,
 Vix primum Quamquam, vix dixerat, Auditores,
 Os perdidit, memoremque mentein.
 It cælo risus. Quid rides turba proterua?
 Respondit expectationi.

In Gallienum suspicacem & biliosum.

Nihil sit mihi, Galliene, tecum:
 Nam si fors duo ludibunda verba
 Nostro nescia fugerint ab ore;
 Mox rubrum tibi pingit ira nasum,
 Auenæque meæ tubam reponis,
 Fulminando, tonando, litigando.
 Si quid suadeo consuloque recti,
 Dolos omnia credis atque casses;
 Si quid dulce loquor, meique moris,
 Spinæ omnia credis atque sentes.
 Tecum nil mihi, Galliene; quidquid
 Dextrâ porrigo, tu capis sinistrâ.

Nouem Musæ.

Quisquis ades Lector, fias spectator; amœnum
 hoc
 Optat spectari, non, Epigramma legi.
 Mira vide; lepidus noster iubet, ecce, Poëta,
 Vndenis Nymphas stare nouem pedibus:
 Calliope, Polymneia, Erato, Clio, atque Talia,
 Melpomene, Euterpe, Terpsichore, Vranie.

Quibus verbera.

Nux, asinus, campana, piger, sine verbere cessant;
 Hæc dura, hic tardus, hæc tacet, ille iacet.
 Sed simul ut ferri plagam sensere, vel vlni,
 Hæc cadit, hic pergit, hæc sonat, ille studet.

De Marco T. Cicerone, Sallustio, Liuio, Plinio.
Ad Nævolum.

Lingua Romuleæ, eloquentia que,
 Princeps & pater, & decus supremum
 Nobis, Nævole, Marcus vñus esto;
 Hunc & Liuius, æmulusque Crispus,
 Hunc & Plinius, at procul sequantur:
 Certè hos cedere Tullio necesse est,
 Et locum dare Princi patrique.
 Ne mî, ne tamen hos neges Latinos,
 Indignosque putest teri legique;
 Laudans, Nævole, Tulliana tantum,
 Hic dignus, mihi crede, Tulliano.

Epitaphium Benedicti Aria Montani.

O verna, æternis violis dignissima spargi!
 Aeternâ dignè vermiculanda rosâ!
 Hic ver, hic habita, virgatos huc calathiscos
 Fer Dea, floricom florea cum Zephyro.
 Hoc Syrus in tumulo est, Hebraeus, Graius, &
 Auson,
 Verus item, sed non teter & vñstus Arabs.
 Quinque homines? inquis. mi Lector fallere; nam
 qui
 Graius, is & Latius, qui Syrus, ille & Arabs,
 Hebraeūs-

Hebræusque idem: nempe hic est magnus Arias,
Qui patriâ vnuſ homo, quinque ſed ore fuit.

*De B. ALOISIO GONZAGA, Societatis
Iesu, ad pictorem.*

Cæli Quirites paruulos, & Olympiæ
Aulæ Camillos, plumeos Germanulos,
Quoties laboras, albe pictor, pingere;
Violas, rosasque (ſcio) ligustra, & lilia,
Gygénque, Atymq; Hylamq; Nisum, & Nirea,
Hæc cuncta miſces; mille formas colligis
Ut vna conſtet: hásne viſ curas tibi
Minuámque lites? aſpice ALOISIUM;
Viſ pingere Angelos? fac Aloisios.

Vltionem paranti.

Cæſi fata Patris iurasti, testibus astris,
Vlcisci armiferâ, flammiferâque manu.
Deprecoꝝ; at fruſtra. Cælo ſim perfidus? inquis:
Stulte, hac perfidiâ turpior ipſa fides.

Tumulus Mercatoris infelicitis.

Fortunæ pila nigra, redux bis diues ab Indis,
Naufragio bis inops, dum maria Inda ſecat,
Mercator iacet hîc; cuius mihi dicere longum
Nomina ſit, moriens nomina mille habuit.

De Mure, & Epigrammatis.

Hæc ſi Mathusalemiiſ
Victura credis ſæculis;
Si fortiora ferreis
Edacis æui dentibus

Hæc nostra credis carmina,
 Amice Lector, fallere:
 Quid esse grande dixeris
 Epigramma? quid magnum putas?
 Cūm nocte nuper vnicā,
 Eaque perbreui (solet
 Quales habere falciger
 Rubénsque messor Iulius)
 Bis quinque, bis decem mihi,
 * *Mus.* Vorarit vna syllaba*.

Quis malus, quis pessimus Praeceptor.
Ad Flaccum Discipulum.

Audi Murciæ
 Lentæ lente puer,
 Turpe Gymnasi
 Nomen, Flacce, tui.
 Cur reas manus,
 Iam nunc præcipitis
 Doctas aleæ;
 Et pugnæ, & vetitis
 Suetas lubbus,
 Castigaturæ
 Doctoris boni
 Subducis ferula?
 Cur hunc asperum,
 Inclamásque ferum?
 Sub quo nil licet,
 Praeceptor malus est :
 Ille est pessimus,
 Sub quo cuncta licent.

In

*In mortem Sanctissima Virginis
Matri MARIAE.*

Non adiut cælum moriens Nasareja Dina:
(O scelus, exclamas, verbaque digna cruce!)
Non adiut certe; causa est, nam venit ad illam
Cælum, & stellantis gloria tota domus.

In B. IGNATII iconem.

Qui circum IGNATI miratur tempora flammam,
Miratur, flammam, credo, quod ignis habet.

Ad B.^m MARIAM MAGDALENAM.

Clemens, MAGDALIS, & potens Patrona
Audis criminibus, reisque cunctis.
Nam queis pectora felle tincta nigro,
Et diris piceata corda noxis;
Quos & Tænariæ larrator aulæ,
Cinctus colla rubentibus colubris,
Sæuis iam tenet implicatque spiris;
Tu bona, ô bona, tu potente dextræ,
Faucibus canis eripis trifaucis,
Et sinu recipis, tegisque: nempe
Olim pessima Magdalena lena
Et plena & satura omnibus venenis,
Nunc es antidotum omnibus venenis.

Venerabilis EUCHARISTIAE theca.

Cum sim plena Deo, & circum me plurima penna
Alipedum iuuenum, cælicolumque volet;
Cum simulem gemmis formosos ætheris ignes,
Chrysolithis flagrans tota, & iaspidibus;
Cum mihi flammiuomo tantus sit fulgor ab auro,

E 7 Solibus

Solibus ut certem cùm sine fæce nitent;
Quærendum est supra Lunæ mihi cornua nomen:
 Vilet, & vnius vix mihi Terra pili est:
Vos Capsæ, Thæcæque, ô nomina parua valete;
 Cælum ego sum, cæli nomina magna peto.

Dei Amor & Timor.

**Vt fugiam scelus omne, & amem super omnia
 Numen,**
Da mihi fræna Timor, da mihi calcar Amor.

De nato, & passo CHRISTO.

O nati Christi bona nox! ô lux mala passi!
Lux mala luce carens! nox bona nocte carens!

*In Imaginem sanctissima CATHARINÆ
 SENENSIS.*

Hæc illa CATHARIS, decusque, duxque
 Virginum Italidum, & columbularum,
 Olim quotquot erunt, fuere, suntque.

En vt pallearat, vt nihil rosarum,
 Purpuræ nihil, aut coralliorum,
 Labris virginis insidet, genisque;
 Sed gelu, & cinis, vua, cera, buxus,
 Eheu, sunt gelido algidoque in ore.

En, vt pectore Virgo fusa toto,
 Passis brachiolisque, palmulisque,
 Clavis lampadulis ocellorum,
 Bucculâ tenerè striauiante,
 Incubet Crucis Virgo fixa, - fixo,
 Iungens pectore pectus, osque sacrum
 Premens ore sacro: premens IESVM
 Tuptum tota suum, omnibus lacertis.

Beatam

Beatam, ter & amplius beatam!
 Hæret vitis in vimo, & ipsa viti :
 Et quamvis glacies hyemsque vultus,
 Signa mortis habent, maliisque lethi;
 Quamvis algida, cœca, muta, surda est,
 Intus clamat, amat; suumque sponsum,
 Turturémque suum osculata turtur,
 Gaudet gaudia summa gaudiorum,
 Indis gaudia præferenda gazis,
 Gazis gaudia præferenda Lydis,
 Mille gaudia præferenda regnis.

Nec tu quisquis ades, quod ora Virgo
 Gerat liuida, mortuam putabis:
 Nam quod pallet, amore virgo pallet;
 Nec est mortua, sed puella dormit.

Mar. 5

Quid Papa, ad Biblium Batauum.

Scis, Bibiane Bataue, quid signet P A P A ?
 Qui Petri Apostoli Potestatem Accepit.

Inferi.

Eheu dolenda! heu misera fors Adamidum,
 Quos nigra claudit ianua,
 Furuique seruat Atriensis Tartari
 Latrator ingens Cerberus.
 Flamas edaces, Arcticum & saeum gelu,
 Lassique saxa Sisyphi,
 Sitimque Tantali, famemque Phinei,
 Et Thesiali tristem rotam;
 Hæc fine nullo, speque nullâ perferunt
 Orci nigrantis incolæ:
 Breuesque vitæ noxias (dolor, heu, dolor!)
 Semper luent, nec eluent.

B E R.

BERNARDI BAVHVSII
 ANTVERPIANI
 è Societate I E S V
 EPIGRAMMATVM
 LIBER V.

D. Ber.
 nard.

Respite Sydnam, voca MARIAM.

IONIAS quisquis fragili rate sustinet iras,
 Aut Scyllæorum iurgia rauca canum;
 Siue illum rabide circumtonat vnda Maleæ,
 Carpathias equitat cùm pater Eurus aquas;
 Seu miser in Maurâ currum defixit arenâ,
 Cùm patitur tortos irrequieta Notos;
O quàm Ledæis blanditur fratribus albus
 Nauita, cùm media nox rapit atra diem!
 Nec solito vesper stellas accendit in auro,
 Mœsta sed in piceâ stat domus alta togâ;
 Ohe, Castor ades! te non fulgente perimus:
 Hein Pollux, quónam dux tuus ardor abit?
 Non ego sic, nuper Batauo deprensus in alto,
 Acolus in nostrâ cùm stetit hostis aquâ,
 Et subiti liquidum texerunt æthera nimbi,
 Et pluuij venit magna ruina Iouis;
 Non ego Ledæos Pueros in vota vocaui,
 Sed melior Noctis Stella vocata mihi est.
 Pro face Pollucis, fax impolluta MARIA est;

Pro

Pro face Castoreâ, casta M A R I A mea est.
Hi gemini, fateor; M A R I A vñica : sat tamen vna
hæc.

Plus poterit geminis Fratribus, ista Soror.

Sancta cuiusdam Apostoli icon.

Ecce Senem, niueisque comis, & lumine miti,
Cui vultu in toto blanda columba sedet:
Et lœuâ liber est, & firmat stipite dextram,
Aureaque è dio vertice flamma salit.
Dic hospes, quis sit: nec circum tempora gno-
ma est,
Nec nomen, fateor; nil opus, ora vide.
Pax & Amor totus, totus Dilectio vultus;
Hic est, F I L I O L I D I L I G I T E A L T E R V T R V M .

G R A T I A D E I .

Diua, cui radios, atque aurea tela comarum,
Cælicolæ debent, pennigerique Chori;
Diua Parens Diuûm, quotquot nûc æthere in alto
Ambrosiam pascunt, ambrosiae Pueri;
Diua veni, diuesque habita sub paupere recto,
Pectore Diua meo; Gratia sancta veni:
Sancta veni, nam te sine nil, per te omnia possum;
Astra parent duce te, te sine nulla via est.
Te sine si currant lacrymæ, sine pondere current;
Utque precer, nullum, ah, in prece pondus erit.
Sit ramosa domus syluis, sint pocula lymphæ,
Gramineusque cibus, stramineusque thoros;
Et psallam, & nigras vigilem cum lucibus umbras;
Quidquid agam, & satagam, te sine non sat
agam.

D E I

DEI FILIVS in utero MARIAE.

Stupescet terra ! Olympicum,
 Interminum Numen, Chao,
 Omnipotens principio prius,
 Cæli sator decemplicis
 Et flammæ arbiter ætheris ;
 Hic, hic Puellæ parvulæ
 Et vix trilustris Virginis
 Vtero MARIAE clauditur.
 Vah ! Punctus ambit Circulum.

Aperti pectoris.

An non aperti pectoris sunt sæcula hæc ?
 Vsura, nullo vt sueta, tecta pallio,
 Per densa fora vagatur, & per oppida;
 Lectiæ fraudes ambulant in publico;
 Et ipsæ aperti ambulant nutribus,
 Omnia pudore deuorato, Virgines:
 Nónne hæc aperti pectoris sunt sæcula ?

MARIA sub Cruce.

Stat Genitrix duris plangens sibi pectora palmis,
 Flens, & amaritæ tota MARIA mare;
 Plurima nam miseram percurrit lacryma Matrem,
 Et mediis flumen dicit in vberibus,
 Deque genæ genibus liquor incidit : hei mihi ! I.
 s v M
 Iam quoque præ lacrymis cernere cæca ne-
 quit;
 Luctaturque loqui, sed singultantia tristes

Post

Post alias aliæ verba secant lacrymæ:
Quas tandem, tandem eluctata, hoc dicere solum
Singultans potuit: O Simeon, Simeon!

De vita Carthusiana.

Pallentem nuper rigidi Brunonis alumnum
 Sic adiit, mundum linquere certus Odo:
Ede Pater, quæ Carthusiæ sit regula vitæ,
Quæ nox, quæque dies; quid fugiant, quid
agant.
Ede quibus studiis hic viuitur. Ille, tacendo,
Fugit, & ingemuit. non potuit melius.

Hercules.

Ioles amore captus est,
 Omphalæ amore vietus est,
Ille, ille, victor omnium,
Fortissimus Tyrinthius.
Risit Puellus teliger,
Et arcui inscripsit suo,
Amor Hercules est Herculis.

De Arthritidis morbo acutissimo.

Quos secat Arthritis, quamvis frons morbida non
 est,
Hos tu ne sani corporis esse puta.
Sana cutis celat vitiatos frigore nervos:
Quæris vbi doleant? quærere vbi non doleant.

Ad Amatum iuuenem pramaturè canescensem.

Iam tibi stant circum iuuenilia tempora cani,
Nigrantemque comam iam color hostis habet.

Vt

**Vt fatear, mirum est, sed non miserabile: quid fles?
Quod citò de coruo es factus, Amate, cygnus?**

In uitante Licinio rus deserit, urbem petat.

Tot me supplicibus vocasti in urbem
Tabellisque, tabellionibusque,
O mei, Licini, medulla cordis,
Vt me posse negauerim negare
Hoc desiderium meo Sodali.
Ergo pietà mihi relicta rura,
Et riui leuè murmurantis vnde,
Et fons vitreus irrigator horti;
Lucus Musicus, aërisque ciues
Cantores nemorum mihi relieti;
Inque urbem pede non volente veni,
Vndanti populo, lutoque nigram:
Sed fallor, populo; bis octo namque
Caspio Lapitheioque vultu
Vrbi paruulæ inambulant cohortes,
Omnes barbaricâ, asperâ, inficitâ,
Saxeâ, orifragâ, horridaque linguâ.
Hæc illa vrbis populosa quam canebas?
Hæc tibi, Licini, frequens videtur?
Ignotis Scythicisque plena linguis?
Mi certè mage sola rure solo est:
Hic meo genio lubet morari.
Vale Rus, dabit hæc mihi vrbis cremum.
Sunt hæc millia solitudo nostra.

Parrhasius & Zeuxis.

*nus: Zeuxi Parrhasius melior me iudice; namque
Hic homines doctus fallere, Zeuxis aues.*

In

In Lauſum impostoreno.

Phyllidas, & Nifas, Damonas, & Alphesibazos,
Dudum fraude malâ ludere rure soles:
Pro geminis lapides, vendis pro piscibus angues,
Pro rebus fumos, pro ratione dolos.
Nunc doctæ, & pulchrè clypeatæ moenia Brugæ
Intraſti; hanc etiam fallere, Lauſe, paras?
Fallere; namque duos vel tres vbi luseris, omni
Mox populo multæ fabula bilis eris:
Utque lupus paſſim allatrabere: non bene fallit
Crede mihi, quisquis fallere, Lauſe.

De Inone puerō nautico.

Aurigis pelagi nuper puer Iuo duobus
Seruit; hic Mello, Furius alter erat:
Mello pius, mitis, facilis; rugosior alter,
Et ferus, & nomen Furius ipſe suum.
Cærula mors vtrumque rapit, dum cærula verrunt;
Audijt Iuo absens, risit, & ingemuit:
Heu, & Io dixit; maduerunt luminis orbes,
Dexter lætiâ, laeuus amaritiâ:
Res mira, & noua res; sed quæ noua, quæ mage
mira eit,
Immitem gaudet, mitem habuisse dolet.

Ad DIVAM studiorum Praſidem.

Diua Rotæ celebris, Studiis ſis dextera nostris;
Fortuna inuidet, te CATHARINA voco.

MARIAE calorum Regina excellentia.

Induperatricem, magniique Monarchida mundi,
Proxima Tergeminio quæ ſedet vna Deo;
Qui

Qui non miratur, qui non pius amplectatur,
Nil stupet hic magni, nil amat ille boni.
Nil illâ melius, nihil est à Numine maius,
Summum cæligenûm, terrigenûmque caput.
Debuit huc M A R I A E virtutum scandere currus;
Debitus illius dotibus ille locus:
Quas omnes numeris possim subducere nullis,
Non si sexcentas dixerit myriadas:
Tentandum tamen est. Numerum vis lector ha-
bere?
I, priùs in digitos sidera cuncta refer.
Hyberno numera fluctus in littore; quótque
Nerea per liquidum flabra Boréa volent;
Quot pennas aér, pinnas mare, syluáque frondes,
Mellilegas habeat flauus Hymettus apes:
Quótque puer flores annus, iuuenis quot aristas,
Poma vir autumnus, détque senecta niues:
Hæc numera, dotes M A R I A E numeraueris; om-
nis
Hic numerus, dotûm Virginis vñus erit.

*P. Gaspari Barzao Zelando, è Societate IESV
Armusionorum Apostolo.*

Et meritò certè, meritò sanctissime GASP AR
In manibus Diqum dicimur esse pilæ:
Tu BARZAE probas; te protulit vltimus orbis,
Ver ybi constrictas vix bene soluit aquas:
Mox sed ad Armusiam tamquam pila mitteris
vrbem,
Ianus vbi tepidas vix bene nectit aquas:
Ut te Dîa manus tetigit, pila sancta, volabas,
Per iuga, per montes, per mare, per scopulos,
Euro-

Europáque fugis, sic, sic, quasi chara fuisset
Europa exilium, patriaque Armusium.

De Abdone Concionatore ac Philosopho.

Verba pius populo vix ter bene fecerat Abdon,
Eua illi ac Adam bis, ter, in ore fuit;
A vetito semper processit Concio pomo,
In pomo semper Concio clausa fuit:
In Logicam peccas Sophiæ clarissime Doctor,
Hoc est, hoc verè est, Principium petere.

*Hæretici arguendi, & si animum
obstinent, castigandi.*

Iurgia in hæreticos quidam iacus aspera Präful,
Et sanctum Domini se probat esse canem.
Est, cui non placeat, quòd tantum latret; at hoc mi
Aegrè est, quòd tantùm Präfulis ira latret.

De Parasitus, ad Erasmus diuitem.

Pulex est Parasitus, opes sunt sanguis, Erasme:
Non te linquet, opum dum tibi sanguis erit.

Iudicium de variis moribus Gallionis.

Iudicium ferri vis de te, Gallio, nullum;
Visque malos de te, visque tacere bonos:
Vis de te ecenas, vis prandia cuncta tacere,
Visque scholas de te, visque tacere fora.
Laudaram; (memini) factus sum protinus hostis;
Culparam quiddam, scuior hostis eram.
Sed nunc, nunc qui sis, me iudice, Gallio, disce;
In manibus carbo est, cretaque fausta meis.
Gallio vir bonus es, vir seruans, amans, æqui,

Inque

Inque tuas noctes fabula nulla volat;
 Largus es, & sistis quocumque in paupere : verum
 Virtutes tantas decoquit vna gula,
 Nam tibi in ignotis quæruntur prandia terris,
 Et census magnos Indica vina liquant.
 Nec satis hoc; Indo quando incantata racemo
 Tempora sunt, pugnas tunc violentus amas.
 Sed Pacem mox siccus amas, & Palladis artes;
 Hinc te Laurigerum plurima turba colit:
 Tuque adeò vatem vario te carmine iactas,
 Eque sinu promis millia multa: Tua?
 Iam scio, iam fœuis, sed ne bone Gallio fœui,
 Infestus noster vix tibi carbo fuit;
 Trita mihi creta est: me iudice, sunt mala multa,
 Sed bona plura tibi, teque malo es melior.
 Iudicio hic finis, Pax Gallio; scripsimus anno hæc
 Quo cunctis licuit scribere **IUDICIVM.**

Anno
CIC.
15.C.
XIII.

*In obitum Ven*ti* senis P. Christophori Clauij
 è Societate IESV
 Mathematici & Astrologi eximij.*

Clavius è terris cùm iam vix sidera nosset,
 Da Devs hæc proprius cernere, dixit: obit.

In Castoris exoticam gastrimargiam.

Dulcia liba vorat; lentè sed vina pitiflat:
 Res noua, liba babit, vinaque Castor edit.

Flacco Concionatori.

Quis neget orando populum te, Flacce, mouere?
 Orantem quando concio tota fugit.

ad

Ad Angelum Custodem.

Gaudia cùm me praua iuuant, tunc Angele plotas;
 Rides, cùm mea mea crimina flere iuuat:
 Magdaliæ lacrymæ sunt vobis dulcia vina,
 Et lacrymæ vobis, vina Holofernia sunt.

Dionysius Richelius Carthusianus.

Est qui per populos centum vagus errat, & vrbes,
 Et patuli mundi permeat omne latus:
 Hic matutinos Seres, serum ille Matinum;
 Hic Boream, medium visit at ille diem:
 Ast ego duun vixi, latui Carthuside eellâ,
 Hæc mihi Thula, Tunes, Roma, Iaponique fuit.
 Nec tamen ignoror nimiùm, sunt clara Richeli
 Nomina, per populos mea scripta vebunt;
 Namque adeò Populi me norūt quattuor, hospes:
 Romulidæ, Sinæ, Sauromatæ, Numidæ.

In Landium omnium dictis annuentem.

Te miserum, Landi, qui numquam diceris alter:
 De quo, cùm duo sunt, dicitur, Vnus adest.
 Nam loqueris, quidquid socij tibi lingua præiuit:
 Quod probat ille, probas; quod negat ille, negas.
 Ille tibi puero legem dat moris, & oris,
 Ille tuos vultus & tua verba regit.
 Diuideris numquam, numquam contraria sentis:
 Riserit? arrides: fleuerit? illacrymas.
 Ardet in ignotum? rugas quoque fingis, & iras:
 Ardet in ignotâ? tu quoque fictus amas.
 Quilibet accessit, mutat tua quilibet ora:
 Horâ sèpè vnâ sic geris ora decem.

Ah, Landi, dum te similem vis fingere cunctis,
Mirum, quām fias tu tibi dissimilis.

De Lampade, ad quemdam.

Fabri tibi est lampas; vis hanc ut carmine laudem:
Nempe, operam ut perdā, perdit ut ipsa oleum.

De Haretico quodam, ad Balbum.

Hæreticum nosti præconem, Balbe, Felinum?
Illum, illum picci de genere Autolyci?
Hic sibi Papistas, nuper, dum pocula siccata,
Sub pedibus cunctos voulit habere suis.
Non æqua orantem Deus audiit auribus æquis:
Nunc celsa pendet de cruce: numquid habet?

Crispo Lentulo, tardo eō celori.

Pes tibi Crispe celer, manus est tibi Lentule lenta;
Ad mala pes celer est, ad bona lenta manus.
Res remedii facilis; pigris calcaria danda
Sunt manibus, pedibus frænâque danda tuis.

Ad Varronem, cur Amor puer.

Cur puerum, Varro, nemo non dicit Amorem?
Cur canum fingit nullata bella senem?
An causa est, quando mortalia cuncta senescunt,
Quod verus numquam, Varro, senescat Amor?

In Absalonis cesariem.

Flauicom capitis quoties fibi pectinat aurum
Dauidides, radios contrahe, Phœbe, tuos.

In eundem.

Quidquid habes, Phaëthonis habes puer Absalo;
 frons est
 Parebori, lumen fronte bigemme tibi:
 Aurea cæsaries, & barba est auræa vestis,
 Pictis picta tuis inuidet tua genis:
 Inuidet & labris Paestani purpura floris,
 Inuidet & manibus nix Rhodopea tuis:
 Verum, heu, tam niueam specie mēs inquinat atra,
 Mens amens, præceps, turgida, cæca, leuis.
 Hæc Phaëthonis habes; caue ne, sublimius æquo
 Cum quo scandisti, cum Phaëthonc ruas.

In mortem eiusdem.

Dauididæ crines iusto librentur an auto,
 Scire hoc vult arbor, librat & ipsa virum.

*R. P. Gisberto Bauhusio, Bruxellensis
 Carthusia Priori, F. S.*

Ne me collaudem, parcè te laudibus orno,
 Cùm tu, ego; simq; ego, tu; laus tua, laus mea sit.

Ad eundem Neomyftam.

Quonā apice, & quanto, frater, stas culmine rerū,
 Si nescis, tuus est prodigiosus honor.
 Despice, sub pedibus totus tibi sternitur orbis:
 Suspice, quod videas nil nisi Numen habes.

Aliud ad eundem.

Qui facili ore Deum profers, Cerere, atque Lyxo;
 Quin Gisberte, pari te facis arte Deum?

F 2

Am

An quia iam Deus es ? magnus, me iudice, fluxâ
E Cerere, æternum qui facis ire Deum.

Angeli pacis amarè flebant.

Flebant amaram pacis Angeli necem,
Flagraque, crucemque, & fata Christi immitia.
Ergóne cælites tangit aliquis dolor ?
Nullus : sed ubi mortalium nemo fleat,
Flendum Angelis est, risibus cum vos datis:
Ridere vultis Angelos ? lacrymamini.

Ad Paulam.

Paula quid quereris, petisse fratrem?
Quid fundis lacrymas, & inquietâ
Longo pectora conficis dolore?
Si probus fuit, & fuit pudicus
(Sed probus fuit, & fuit pudicus)
Iam nunc sidera calcat, & superbum
Felix sub pedibus terit Olympum:
Quare, desine, Paula, lacrymarum ;
Mori Christicolis piis probisque,
Non est Paula perire, sed præire.

In Clodium Albinum.

Pinguem parari Clodius iubet cœnam:
Campana centum Persica, Ostiensisque
Decem melones, ostreaque quater dena,
Ficedulasque, mullosque, rhombosque,
Centumque ponit quinquies iubet ficus:
Adhæc Falerni Massicive Lyæi
Decem diotas ; & tragematum quidquid
Mensis secundis ponitur, iubet ponit.

Ponuntur;

Ponuntur; cia, quem vocabit ad cœnam?
Hem! Clodium ad cœnam vocabit Albinus.

Ad Cardanum.

Terræ iugera tu decem
Auri contegis vaciâ?
Ast quadriplagum ego solum
Et Tritoniacum salum, &
Cæli ingentia mœnia
Faxo auri tegat vncia.
Dices, In tabulâ; Rem acu.

Facilis descensus Auerni.

O facilis nimiumque patens, quæ ducis ad orcum
Searita, & ad Stygij regna inamœna Louis!
An non est facilis nigri descensus Auerni,
Quando illò cæcus quilibet ire potest?

*In Georgium Thomsonum Scotum,
Deiparae Virginis
mæstigem impissimum.*

Bassaridum, Thomsoniæ, genus, barbatâq; Baccha,
Pœne leo, tigris Parthica, Marsæ canis,
Thrax, Geta, Sauromate, Biston, Scytha, barbare
Quade,
Scote Atreu, Phineu Scote, Britanne Nero,
Dête Theon, animo Timon, sine mœte Chorœbe,
Circum vipereæ sunt cui corda fibræ;
Nigra colubrino stillat tibi lingua veneno,
Præque tuo nullum fel crocodilus habet:
Mille tuo piceæ stabulantur dipsades ore,
Prospectatque tuis regulis ex oculis;
Sunt trifidae fauces, vox ferrea, flammæa lingua est,

F 3 Qbla-

Oblatrate tibi Cerberus ipse neget.
 Heu animi infelix, quæ te furiauit Erinnys
 In Superos tragicâ prælia flare tubâ?
 Ah miser Ixion, quid famâ in Cælite ludis?
 Cur linguae rabies tam pretiosa tuæ est?
 Illa, illa, æterni genitrix & filia Solis,
 Illa mel, illa fauus, illa rosa, illa thymus,
 Illa poli dulcis Maiestas, summaque cæli
 Purpura, Thomsono displicuisse potest?
 Displicuit certè; quamuis Hyblaæ, polique
 Dulce mel, & nectar, totaque dulcis Apis:
 Mel tamen hoc felli est, hoc illi nautea nectar,
 Lerna illi hæc Hybla est, Ibis ei hæc Apis est.
 Sichemio colitur quod Colle, hoc ringitur ira,
 Et cuperet rastris hæc iuga sancta coli.
 Ferree, tu ferro dignus, saeuaque securi;
 Illa avio digna est aurea Diua coli.
 Sic roseus colit hanc Flander, sic decolor Indus,
 Et Syrus, & multi pastor edoris Arabs;
 Quisquis & auriferam ad Peruam, Mundique ta-
 porem
 Vicit, & Heliacæ feruet ab igne rotæ.
 Hoc scio te rûpi, hinc pallens tibi buxus in ore est.
 Rumpere, rumpere, dirumpere flagitium;
 Rumpere torquatae fraterculæ Tisiphoneæ,
 Cui puero Eumenidum fellea mamma data est.
 O fax, o pestis, nostrique infamia sæcli!
 Totus noxa, lues, fraus, dolus, ira, scelus.
 O qui te Oceanus, quæ te lauet, imprebe, Tethys!
 Sed nec te Oceanus, nec Thetis vlla lauet.
 Tu scelerum, tu cunctorum, Thomfoni, malorum
 Oceanu magno, maiorcs Oceanus.

In Pyrrhum, omnia omnibus promittentem.

Qui te cumque rogant, & quæ te cunq. rogantur,
Promittis sociis omnia, Pyrrhe, tuis:
Fiet erit, faciam, donabo, cras, modò, iam, nunc.
Quiduis poscatur, nil tua lingua negat.
Munificus sic esse putas? sis blandus avarus;
Nam cessant, post tot splendida verba, manus:
Nec pro promissis grates tibi dicere par est;
Omnia promittens, omnia, Pyrrhe, negat.

Parentis & filij pium votum.

Parentis, audi, & filij votum pij:
Medicus parens, natus Chirurgus, hoc voulent,
Ne vitâ in omni munitam poscant opem.

*Herculi Grandanimo, adolescenti
Pedemontano.*

O frontis angustæ Puer,
Timidule, pallidule Hercule;
Hoc ter quaterque te rogo,
Ne me salutes amplius;
Nam mihi salutem reddere
Per est molestum: namque te
Quoties saluto, mentior.

*Carolo Guilleto, Musico præstantissimo
de Tbrasone quodam Musicastro.*

Deformis ille Musicus,
Iudas cui ruffa est coma,
Tripilisque ruffa barbula,
Vinoque gemmæ genæ,

Ventosus, arrogans Thraso est,
Et insolens præco sui.

Nam nuper inter pocula
Iactasse sic se, Carole,
Buccâ caninâ dicitur,
Verum, peritum Musicum,
Primumque se, solumque se
Totius esse Belgicæ,
Se præter esse neminem.

O viueret Democritus !
Non viueret, risu crepet.
Verum quid insolens Thraso,
Quid iste follis diceret,
Si sic adires, Carole ?
Tun' primus es, tun' solus es
Nostræ Magister Belgicæ ?
Si solus es, qui primus es ?
Si primus es, qui solus es ?

Quis diues.

Diues Mæcenas, auro qui nouerat vti:
Euclio pauper erat, proprio leuior licet auro,
Nummorumque esset ditissimus; at sibi durus
Fonte sitim, porrisque famem deponere suerat,
Et natæ in tædas aſtem vix sustulit aulæ:
Ignotus iacet ergo, aut solo in paupere notus.

Contra Mæcenas, æternū est carmen, amorque
Vatibus, imparibusque Sororibus; est & honoræ
Nomen Amicitiae: Mæcenas audit, egenti
Quisquis opem fert Vati, & doctâ Pallade natis.
At, cur nunc rarus Mæcenas, Euclio multus?
Aurum rarus habet, multi sed habentur ab auro.

In

In gloriosum Fulconem.

Vnde leues Zephyri, ruit vnde procellifer Eurus,
 Ferreus vnde Aquilo, plumbeus vnde Notus,
 His noscor populis : tepidi me Nilus & Indus,
 Me gelidi Rhenus Danubiusque sciunt.
 Hæc iactat, titulis, Biberi, Chaldi, atque Meronis,
 Fulco tumes, semper mens cui vincta mero est.
 Et cum vincta mero est, tum pagit carmina vates,
 Quæ Ligur, Indus, Iber, sed piperata legunt.
 Noscitur ergo Orbi : sic certè : at sola per Orbem
 Non lux pulchra volat, nox quoq; nigra volat.

Festina lente. Ad Crispum.

Sic tibi FESTINA LENTE, sic ΣΠΕΥΔΕ
 ΒΡΑΔΕΙΩΣ
 Crispe placet ; scripta his est tibi tota domus:
 Quin & Phidiaci cæli tibi limen eburnus
 Ornat eques ; stimuli cui pede, fræna manu.

Natura defectus.

Nescio quod certè miseri nunc degimus æuum,
 Ver messem, Brumæ frigora messis habet.
 En coma canescit Solem vix passa virilem;
 Mensque animusq. viris, robur & arma cadunt.
 Præcoquitur pueris contrà Natura ; dolusque
 Et mens est puero, quæ solet esse viro.
 Præcipitata ruant sic omnia : cernere passim est
 Inque viris pueros, in puerisque viros.

De Cometâ Anni C I O. I O C. X I I X.
& Erycij Puteani morbo pane capitali.

Euasti PYTEANE, ipsoque à limine lethi

Ianuaque nigrâ pedem reduxti.
 Icit, non vicit, qui te malus ignis ab alto
 Læserat, radiantis os Cometæ:
 Qui nuper stellâtem Arcton violauit, & Austrum,
 Monstrosâ face territans Booten.
 Cùm trabe flammatâ tot formosissima solus
 Formidabilis iret inter astra:
 Numinis irati, vt credunt, dirumque minantis
 Rubens, virgifer, ensifer Satelles!
 Ergo triste iubar, suspensum terruit Orbem
 Et Belgis rapuit rosas ab ore.
 Pallenti violâ nos tingens: me quoque rugâ
 Arauit duplicitique, triplicitique.
 Dum tibi supremum lapidem, moestamque cu-
 pressum,
 Vnamque ossilegam audio parari.
 Fors, mala si tabes te exanguibus adderet umbris:
 At (charum ô superis caput!) Cometam
 Luctantem tecum potuisti vincere; quando
 Tu non occidis, occidit Cometa.

*Votum ad DEVVM OPT. MAX.
 pro Cometâ.*

Visa gentibus utriusque Mundi
 Virga flammæa flammæi Cometæ,
 Parcat Gentibus utriusque Mundi
 Quæ sub axe colunt, vel hoc, vel illo,
 O iusta, Deus, ac benigne, dextræ!
 Minax, flebile, noxiunque fidus
 Ut terrere finas, veta nocere;
 Ut nocere finas, veta vagari;
 Ne per millia, quod minatur, erret.
 Sitis Bethuliae, famæ Sagunthi,

Morbi,

Morbi, bella quæ, pestilentia quæ.

Hoc Deus, sed & amplius rogamus,
Erros Barauos, Britannicos quæ,
Gebennæ quæ nigræ (nigræ Gehennæ)
Veta serpere longius venena,
Veta longius ambulare fraudes.

Mille denique lugubris Cometæ,
Damna, spicula, tela, fata, mortes,
Ire quadrifidum veta per orbem,
Veta errare Deus, veta vagari.
Parce gentibus, obruatur unus;
Caput, sit satis, aufer hoc; & istum
Cometam fieri veta Planetam *.

In Puppum pumilionem.

* πλα-
νῆ,
errare.

Dū moriens suprema animæ fert frigora Puppus,
Nemo paret tumulum, pyxide condar, ait.

Nominibus non semper credendum.

Nominibus credam, nec numquam, sed nequ
semper;

Nec numquam verum, sed neq; semper habet.
Clara, Agatha, Ambrosius, Stephanus, Vincentius,
Agnes,

Conueniunt Sanctis nomina pulchra suis:
Barbara, Cæcilia, Vrsinus, Lupus, Vrsula, Asella,
En, pugnant Sanctis nomina praua suis.

*In Imaginem S. MARIAE MAIORIS,
olim à D. LUCA, & nostrâ memoria
pereleganter expressam à Gandio.*

Sidereo vultus Nasareidos Heroïnæ,
Quos LUCAS exscripsit deliciosa manus;

Dædalco nuper radio, pennaque nitente
 Gandi etiam scripsit deliciosa manus:
 Desidiâ at longâ; fraudes dum colligit omnes,
 Et totum in doctam se vocat ille manum.
 Ergo Tumantæos rores, dum vertitur annus
 Ter rota ter, patiens ista tabella bibit;
 Tum demum visa est sic viuere Diua bilustris,
 Mentiri ut vitam non queat vlla magis.
 Vedit ut hanc LVCAS stellatæ è mornibus Aulæ,
 Certat, ait, Diuæ, Gandia Diua, meæ;
 Illa, vel illa mea est, sed quæ sit nescio: nostrâ at
 Altera facta manu est, altera digna manu.

Ad Sextum, de Amici lapsu.

Crimen, Sexte, mei cur plorem quæris Amici?
 Peccavi, fateor, non ego, at alter ego.

*De P. Petro Fabro Societatis IESV, Gallia
 Germaniaq; Apostolo.*

Venturo in lucem Fabro, sic Numinæ fertur
 Supplice nixa genu Terra rogasse parens:
 Sæcula sunt ferri, toto furit hæresis Orbe,
 Da DEVS hunc, cōtra hæc ferrea sœcla, Fabrum.

In Ambram Epicuréum.

Lacrymæsse numquam fertur Ambra: non vixit.
 Carere vera lacrymis nequit vita.

Ad Fabium militiam meditantem.

Ergone vadis, mi Fabi dulcissime?
 Ad castra pergis Martia?
 Nec te tui flentes tenent amiculis

Nec

Nec triste scisla cor, soror?
 Medulla patris es; emedullabis patrem?
 Teneraque vita matris es;
 Hanc saevis euitabis? ah, Fabi, mane!
 Nec caute surdâ surdior,
 Duraque durior, parentium nega
 Audire verba supplicum.
 Si certus, inque mobilis es abscedere,
 Haec iam puta te dicere:
 Pietas vale, bona mens vale, salus vale,
 Pudor vale, virgo vale:
 Namque ista sola vita nunc est militum,
 Malè viuere, & bene bibere.

In Corbam anum merobibam.

Potare florem sueta Liberi Corba
 Auro, vel onyche, vel Canopicâ gemmâ,
 Decoxit omnia; nilque reliquum fecit
 Rugae senili, annisque tristibus gaudi.
 Iam cum podagrâ, litigârque chiragrâ,
 Siticuloso & intumescit hydrope;
 Strictaque glande famem, sitimque crudelem
 Compescit vndâ: ferreum vnde nunc cælum,
 Crudele Numen, improbos vocat Diuos.
 Quiesce Coiba, sanxit hoc Adraſteâ:
 Qui delicate pranderit, malè ut cœnet.

In Artum seniculum merobibulum.

Vini doliolum, nuper Milo dixerat, Artum
 Siccanem cyathos, ter duo, tärque decem:
 Mox cernens magnas Arti aures, Fallimur, inquit,
 Non hic doliolum, vera diota meri est.

De M. Antonio Mureto Oratore clarissimo.

Romuleam nuper Pallas dum viseret urbem,
 Turbaque cum Phœbo Melpomenæ suo.
 Mureti os dñum Piimplæides admiratæ
 Fulmine nunc ruere, flumine nunc fluere,
 Et modò flexanimâ mella Itala fundere linguâ,
 Attica nunc doctis fundere mella labris,
 Clamarunt Diuæ: Gaudet Tritonia, gaudet,
 Quæ sine matre Dea es, non sine fratre Dea es.

De se.

Nunc humili socco, nunc me iuuat ire cothurno,
 Ludere nunc cannâ, nunc iuuat ære tubæ:
 Omnibus hoc vitium Phœbi cantoribus; ipsum
 Alternis Phœbum sistra lyræque iuuant:
 Sed neque fonticolis pulsatur dulce Puellis
 Semper ebûr; mixtis gratia rebus inest;
 Nec frustrâ Aonio pendent de pumice circum
 Cymbala, pleætra, lyræ, tympana, sistra, tubæ.
 Te quoque mi Lector, pede nûc, nunc ire caballo,
 Nunc iuuat ire rotâ, nunc iuuat ire râte.

De Zoilo.

Io triumphè! io triumphè! Quis, ohe, me
 Secundioribus volat rumoribus?
 Iam placebo certè; nostra iam recto ambulat
 Thalia talo; nil Quiritum pollices
 Vlrà moramur, aut sonantes dexteras:
 Ipsî probamur (nónne satis est?) Zoilo.
 Nam fila, pleætra, barbiton laudat meam,
 Et cuncta dicit digna Phœbi filio,
 Et esse Phœbo. Nempe quid dicit? Negat.

S. CA-

S. CATHARINAE Studiorum præsidio
sua commendat.

Cùm Phœbi, cùm Mnemosynæ sis filia prima,
(Sed Phœbi C H R I S T I , Mnemosynæ
M A R I A E)

Primaque Musarum, & vatum sis gloria prima,
Virgineæ, C A T H A R I S , primaque Dux chorez,

Te certè meliore loco cantare decebat,

Et tua erat primi pagina prima libri:

Sed quo nunc legeris (liceat tibi vera fateri)

Esse loco haud poteras utiliore mihi.

Vt pauidos sequitur latratrix Pœmenis agnos,

Sic versus sequeris tu C A T H A R I N A meos;

Illa gregem seruat, tu nostra Epigrammata seruas;

Arce tu Momos, arcet vt illa lupos.

A D . L E C T O R E M .

Vt nee multa darem, nec pauca Epigrammata,
Lector,

Sum victus hoc dilemmate:

Si bona, Bilbilicum sapiant si nostra salinum;

Non esse pauca, iuuerit;

Si mala, si nihil hic Itali gustatur aceti,

Non esse multa, iuuerit.

C E N -

C E N S V R A.

CVM iuxta Lyrici Poëta censuram,
Omne ferat punctū , qui miscuit vtile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo:
omnino illud etiā tulisse existimauerim R.P.Ber-
nardum Baubusium è Societate I E S V , quin-
que his Libris Epigrammatum, quaq; iisdem postu-
ma accesserunt : ut in quibus, prater eruditionem,
argutiam, venustatem , argumenti pietas insuper
variè inspersa , Lectorem prouocet , ut non modò
cum voluprate ea adeat, verùm etiam ut melioris
vita normam reportet. unde & merito typis tra-
denda , & diuulganda iudicauit Kalendis Apri-
lis, M. D C. XX.

Laurentius Beyerlinck Canonicus &
Archipresbyter Ecclesiae Cathed.
Antuerp. librorumque Censor.

S V M M A P R I V I L E G I I.

A L B E R T I & I S A B E L L A E C L A R A E
E V G E N I A E, Archiducum Austria, Du-
cum Burgundia, Brabantia, &c. Serenissimorum
Belgica Principum Priuilegio cautum est, ne quis.
Bernardi Bauhusij è Societate Iesu Epigram-
matum Libros quinque, prater Baltasaris Mo-
reti voluntatem intra sexennium imprimat, aut
alibi excusos in Inferioris Germania ditiones im-
portet, venaleſue habeat. Qui secūs faxit, confisca-
tione librorū, & alia graui poena multabitur: uti
latius patet in litteris datis Bruxella, xxv. An-
gusti, M. D C. X V.

Signat.

N. Lombaerts.

A N T V E R P I A E,
E X O F F I C I N A P L A N T I N I A N A
B A L T H A S A R I S M O R E T I.
M. D C. XX.



INDEX

Bernardi Bautii Epigramatum

- b.I. In ieculi nostri perditissimos mores. pag: 3.
In septem psalmos penitentiales Damii regis. 4
Decati punitio: }
In tabulam Damii, et Cie }
Ecce homo - - - - -
Ad virginem asperi collis, vulgo Sichemianum. 6.
De libello Tome a Kampis. qui sequitur me. }
Terra vallis Luminarum ad Paulum cesarinum. }
Tres homines hostes - - - - -
De amente et amante }
Religio batavica } 8
Spiritus sancti imago, columba. }
Ad finum coronatum de Luca. - - - - -
In Agium etiorum. }
In hincam e remige equum factum. } 9
De D. Ursula virginone, et mart. - - - - -
Laus dei pare. } 10
De aucto Velio adolescenti, a Pallide ad Marte transuerso }
In goddam ministrum calvinorum bibulum ganeonem. }
In gerundum bello captum christiana raora fice insiguum. } 11
De Virgilio verboribusque poetis - - - - -

